dziś 1832

iak umarł lat 143.

jak ta Książka wydana

lat 126. —

1689
1763
146



Venerabilis P. THOMAS de Rupniew VIEYSKI
ex Episcopo Chyowiensi et Czernihowiensi Religiosus
Soc: IESU, Episcopali et Religiosa perfectione conspicu,
Obijt Vilnæ anno 1689, 1 Aug: Ætatis 76. Societatis initæ 12

VITA
Venerabilis Patris
THOMÆ
De RUPNIEW UJEYSKI

Primùm Episcopi Chijoviensis
& Czernihoviensis
in Regno Poloniæ,
dein Religiosi Societatis JESU,
conscripta
à Rndo. P. JOANNE BRICTIO
ex eadem Societate
Pruteno-Varmiensi, S. Theol. Doct:

BRUNSBERGÆ
Typis Collegij Societatis JESU
Anno MDCCVI.

Perillustri ac Reverendissimo Dno.
D. STANISLAO de Rupniew
UJEYSKI Decano & Canonico Varmiensi &c. &c.

M*Agnum olim in Sacro Antistitum, & augusto Procerum Poloniæ Senatu, majorem in delecta minima JESU Societate, Tuum Tibi reddo Patruelem, Venerabilem P. THOMAM,* Perillustris ac Reverendissime Domine. *Redit mortuus ad publicam lucem, quam vivus fugerat; comparet, historica devehente penna, in facie solis, qui religiosam umbram Infulatis posthabuit splendoribus. Stupuit Polonia Antistitem, Ecclesiæ Solem, spontanea obscurari ecclipsi, Oraculum regni ire sub leges silentij, Patriæ Patrem in humilem transire Ignatij filium: & quidem tanto humilioris sortis ambitu, quanto mortales aspirant, & nituntur ad sublimem. Et quid-*

ni

ni stuperet: cùm in sacris Ecclesiæ suæ factis viderit neminem, qui simili fastu honorum Ecclesiasticorum & Politicorum calcârit fastigia. Solus hic infulatus Lechiæ phœnix desertam Religiosæ solitudinis Arabiam petijt: ut Felicem beatæ Æternitatis obtineret, ac insolitæ humilitatis immoreretur cineribus.

Rara hæc metamorphosis in Viro tanto, visa est equidem non paucis insolentior, aut minus consulta: at illi non deerant illustrissima & heroica Sanctorum quibus insisteret, vestigia, Petri Cælestini Pontificis Maximi, Gregorij Nazianzeni Summi Theologi, Adalberti Episcopi & Martyris gloriosi, Card: Bellarmini Archiepiscopi Capuani, Caroli à Lotharingia, Ducis & Episcopi Virdunensis, compluriumq; aliorum, imò ipsius Sancti Sanctorum, qui cùm in forma DEi, & spelndoribus Sanctorum esset ab æterno, in fine sæculorum humiliavit semetipsum, abjectam servi formam suscipiens. Factum est autem Divino planè consilio: ut non nisi in provectiore ætate, votorum suorum attingeret metam Religiosissimus Episcopus noster. Delectus enim fuit à guber-

bernatrice mundi, Sapientissima Providentia: ut novam, in vario statu sanctè vivendi Ideam, exhiberet orbi, exprimeretq; in se uno dotes omnes, sive in aulico Christiano, sive in senatore regni, sive in Pontificum regumq; Ministro, sive in Prælato Ecclesiastico, ac deniq; in consummato Religioso desideratas. Et expressit eas tã scitè feliciterq;: ut dubium reliquerit; sanctioremne egerit Episcopum an Senatorem; Religiosum an Aulicum; Superiorem an Subditum?

Grande hoc rarumq; absolutissimæ virtutis exemplar, tenui, sed fideli stylo adumbratum, in cujus consultiùs deponerẽ sinum, ad perennem orbis admirationem & imitationem, quàm in tuum, Perillustris ac Reverendissime Domine: *qui nõ nominis tantùm, & cognati sangvinis jure; sed virtutum & egregiè gestorum merito tua fecisti Religiosissimi Prælati & Patruelis tui decora? Ardet etiam in Te indefessus ille boni publici zelus; splendet rara illa dimissæ Infulæ & sinceræ virtutis gloria; spirat viva illa Prælati Ecclesiastici imago. Sive enim Ecclesiæ negotia tractanda, sive in Polonæ Nobilita-*

lita-

litatis Areopago jura eßent dicenda: ubiq; effulsisti disertus & eruditus, dexter ac fortis, venerabilis & charus etiam Eminentissimis. Admittes igitur, confido, facilis & gratiosus, Vitam quam vivis, Antistitem è cujus disciplina prodijsti, Religiosum, pro Te assiduum apud Superos Oratorem, Patrem qui te in corde gestavit. Admittes hãc devinctissimi animi tesseram, qua minima Societas contestatur: se plus debere Illustrissimæ UJETSCIANÆ Domui, pro uno hoc Viro; quàm pro numerosis Collegijs fundatis. Ego gratiosa hac facilitate Magno Nomini tuo obstrictissimus, ardentibus cælum fatigabo votis: ut ad mensuram meritorum ætatem Tibi extendat; donec plenus dierum & honorum individuus jungaris Magno Patrueli Tuo.

Pinsci 1706. 10. *Augusti.*

Illustrissimæ ac Reverendissimæ
Dominationis Vestræ.

Servus humillimus

Joannes Brictius S. J.

APPROBATIO

VItam & ſanctè geſta Venerabilis Patris Thomæ de Rupniew Ujeyſki primùm Epiſcopi, deinde Religioſi Societatis JESU, optimè & veraciter expreſſit Admodum Reverendus Pater Joannes Brictius ejuſdem Societatis Sacræ Theologiæ Doctor, cujus enarrationi de raris & inſignibus magni iſtius Viri virtutibus & meritis, cōmunis & publica fama, in hoc præſertim loco & Canonicorum Collegio, qui Ipſum novimus, quiq; integerrimi hujus Præſulis, & Prælati vel conſortio vel patrocinio fruebamur, conſonat & adſtipulatur. Dignam proinde cenſemus, quæ in ornamentum Sanctiſſimi Inſtituti, & militanti Eccleſiæ in exemplum & imitationem publico prælo exponatur. In quorum fidem &c. Datum ad Eccleſiam Cathedralem Varmienſem die 26. Februarij Anno 1706.

JOANNES GEORGIUS KUNIGK
Cuſtos Canonicus, Vicarius in Spiritualibus, Officialis Generalis, & pro tempore Adminiſtrator Epiſcopatûs Varm:
m. ppa

FACULTAS
R. P. Provincialis.

Vitæ Compendium Venerabilis Patris Thomæ Ujeyſki ex Epiſcopo Chijovienſi Religioſi Societatis JESU, à Patre Joanne Brictio ejuſdem Societatis conſcriptum; cùm aliquot ad id deputati Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint: Ego, poteſtate mihi ab Admodum Reverendo Patre Noſtro Michàéle Angelo Tamburino Vicario Generali data; Typis mandari concedo. In cujus rei fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & officij mei Sigillo munitas dedi. Vilnæ 10. Novembris Anno 1705.

JOANNES BIELSKI

Societatis JESU.

Præpoſitus per Provinciam Litvanam.
mppâ.

CAPUT I.

Natales Venerabilis P. Thomæ.

EDitus in lucem eſt Venerabilis P. Thomas, anno ſeculi ſuperioris poſt decimũ quarto, in florentiſſimo Sendomirienſi Palatinatu, regente Eccleſiam DEI Paulo V. Pontifice, Poloniam Sigiſmundo III, Patre Stanislao de Rupniew UJEYSKI, Viro primæ his in terris nobilitatis, ſed tunc adhuc heterodoxo. Matrem nactus eſt Suſannam, æquè illuſtri è ſtirpe, de Wrocimowicz Pacekianam; quæ hoc uno videtur commendatior, quòd Orthodoxæ fidei inter plurimorum defectiones nunquam nuncium remiſerit. Coaluerat hoc inter par nobile conjugum, ſola tunc diſpar religione, non ſine inſigni Divinæ Providentiæ ſpecimine, matrimonium in ſequentem modum. Acceperat Stanislaus à Sigiſmundo III, Poloniarum

Rege, cujus intimum agebat Consiliarium, in mandatis: ut nescio quæ secreta deferret ad Imperatorem Romanum; quæ dum impiger exequitur, patriam domũ invisere necesse habuit. Hic, quantum negotij, quod præ manibus habebat, magnitudo permittebat, aliquantisper moratus, dum ultimum viduæ Matri vale facturus plantis advolvitur, aureum illa & pretioso insignem adamante annulum in digitos ejus induit: Cape, inquiens, fili, hoc à Matre tua mnemnosynon, huic ego benedictionem alligavi maternam. Digreditur ille osculatus manum dantis, adhuc nescius, quænam rursus, in annulo à Matre oblato. Seleuco sibi fortuna desponderetur. Fuisse nihilominus pronubum & hunc annulum, secundus probavit eventus. Casu, an verius dispositione divina accidit, ut dum ulteriorem metiretur viam, hospes ad aulam Pacekianam deflecteret: in qua dum, ut par erat, omni cum ostensione humanitatis Legatus regius excipitur; suum sibi intercidere patitur mnemnosynon. Et quidem nulli tunc parsum est

di-

diligentiæ, ut sua Polycrati felicitas, suus rediret annulus Stanislao. Excussa sunt omnia, lustrata universa; perditum erat pignus, & in pignore materna benedictio. Spei nihil affulgebat, nisi quam reduci ex legatione sequens ferret dies. Et attulit ille quidem, sed non citius, quám quoad memor rimæ factus, cui depositum crediderat, idem repetijt. Lætus itaque invento, dum hinc benevolentiam Domûs, inde prope jam desperatam annuli inventionem meditatur: subit animum cogitatio, quænam esset hæc benedictio, quam Mater alligârit annulo? Et an non eam ipsam adhuc cælibi sibi Divina Providentia, signo perditi ac inventi hujus illa ipsa in domo præparatam demonstret? Nec multa opus fuit deliberatione, agente interius DEO, Rachelem sibi in Susanna eódem despondet annulo, deprehenditq; ex vero, multam sibi cum & ab hac sponsa benedictionem profluxisse: siquidem & fidei Orthodoxæ reconciliatus ipse, & Filij probà ejus educatione in tales evasere viros, qui Patriæ splendori, Patri solatio ac decori essent,

ſent. Certè ſuperſtes poſt fata uxoris, ac propè jam fractus ſenio Stanislaus, non ſine dulcibus lacrymis commemorare ſolebat; quid circa ſe operata fuerit virtus maternæ benedictionis, ac diſpoſitio mira DEI perfecerit.

CAPUT II.

Nato P. Thoma, Pater & Fratres ejus reconciliantur Eccleſiæ.

HAbet hoc in partibus, in quibus fidei cum hæreſi multũ diſparia tolerantur connubia, parũ laudabilis imò vituperanda conſvetudo (ſicut eorum, qui cùm 2. Eſdræ 13. duxiſſent ſibi uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, tali commerſio cauſam dederunt; *ut filij eorum ex media parte loquerentur Azoticè, & neſcirent loqui Iudaicè, ſed loquerentur juxta lingvam populi & populi*) habet inquam hoc talium conſvetudo; ut proles diviſim ſequatur religionem parentum; maſcula quidem Patris, fæminea Matris: ſicq; pars filiorum Patri Luminum, pars principi tenebrarum adhæreat; una DEUM alte-

altera Baal ſequatur. In hanc ipſam conſvetudinem declinârant etiam Parentes Thomæ; ideoq; prolem maſcûlam Pater fidei ſuæ (ſi fides dici poteſt, quæ cum fidei capite careat, alijs ex alio erroribus implicatur) mancipavit, ſequentibus uterum & Religionem Matris Orthodoxæ filiabus. Tres jam præceſſerant Thomam nativitate Fratres, omnes ab heterodoxo rabula baptiſmo expiati, ac patris ſectæ initiati; cùm pia Mater novo ſe fœtu gravidam ſentiens, efflictìm, adhibitis etiam Oratoribus lachrymis apud Conjugem inſtat; quidquid eſſet, quod ferret utero, baptizari ſineret per Sacerdotem Catholicum. Diu quidem hic reluctatus, obdurâſſe animum cautis inſtar obſtinatè videbatur: ad extremum tamen piæ Conſortis mollitus lachrymis, in ejus vota conceſſit, tantò majore hujus gaudio, quantò paulò pòſt gratius accidit, effuſum â ſe maſculum intueri. Baptizatur infans ritu Orthodoxo à Sacerdote Catholico, & Apoſtolico Thomæ nomine inſignitur. Quod quàm placitum Spiritui Sancto, qui fertur ſuper has
 aquas,

aquas, fuerit; manifeſtum fit ex donis ejuſdem Divini Spiritûs in totam, paulò à baptiſmo Thomæ, profuſis domum. Nam haud ita multò poſt Pater cum tribus Thomâ majoribus filijs agnita fidei veritate, ejuratoq; Calvino, Catholicæ acceſſit Eccleſiæ; quaſi jam tunc præluderet Divina Sapientia zelo poſtea futuri Epiſcopi, Patrem ac Fratres in ovile Chriſti impellendo. Dicere etiam tunc poterant montana Poloniæ, quod olim de Præcurſore mõtana Iudææ: *Quis putas puer iſte erit*, cum quo tam maturè manus eſt Domini? Certè ab eo tempore domus tota Divinis locupletata eſt benedictionibus, quas parentes operibus miſericordiæ, liberi autem omnigenæ pietatis exercitijs promereri ſatagebant. Mater imprimis, omni memoria meliore digna, ſtudium omne atq; operam in Chriſtianæ pietatis cultum convertit; & quod vixit reliqvum, elaborandæ ad omnem virtutis formam teneræ proli ſuæ impendit, non ignara, tenaciſſimos nos eſſe eorum, quæ rudibus annis didicimus. Vnicum id, ſi cæ-

tera

tera deessent, dicebat Thomas jam provectior, ad perennem grati animi, erga matrem suam, memoriam abunde sufficere, quod se non ab immundo mundari, sed ritu Catholico à presbytero DEO dicato, salutari lavaero tingi fecerit; non quòd nescierit, semen sive lotis aut sordidis manibus seminetur, æqualem fructum reddere, lucem per munda æquè ac immunda operari opera lucis, sigillum ferreum æquè ac aureum eundem præstare effectum: sed quòd hac ratione filum præsciderit ulterioribus, quæ circa fidem oriri possent, difficultatibus. Monicam sibi alteram in ea datam divinitus, quæ & se lacrymis, novum Filium lacrymarum, DEO pepererit, & parentem Christo lucrata fuerit. Nec hic stetit optimæ Matris amor. Ut primùm fandi libertatem assequi cœpit Thomas, pretiosissima JESU & MARIÆ nomina instillare, blanditijs ad orandum DEum allicere, inq; id unum oculum intendere, ne quid eo coram ageretur, quod innocenti animæ nævum aliquem affricare posset. Pau-

 perum

perum necessitati leuandæ, erga quos summa benevolentia, ac juvandi studio ferebatur, Thomam parvulum adhibebat liberalitatis suæ instrumentum, quē in tantum huic assvefecit virtuti: ut viso duntaxat mendicabulo, voce ac gemitu pro eo stipem oraret, nec ab orando cessaret, fletu etiam & ejulatu adhibito dum sibi, quod offerret egeno, daretur. Instillatam illi erga hoc genus hominum cum lacte misericordiam fuisse, crevisseq; cum illo ab infantia miserationem, satis apertè declarant ea, quæ, ut in decursu hujus compendij videbimus, profudit. Sed & aliorum, quos idem portavit uterus vita laudabilis, ac ad omnem recti amussim composita facile demonstravit, quàm sancta essent origine nati. Fratrum unus, Casimirus, spretis mundi fallacijs, Ordinem S. Francisci, quem de Observantia vocant, ingressus, post plures annos in officijs varijs etiam Superioratuum, sanctè exactos amore latendi, ac arctioris observantiæ, ad Reformatorum ejusdem S Francisci Ordinem transijt, in quo relictis non

fucatæ

fucatæ Sanctitatis veſtigijs, plenus dierum & meritorum obijt. Sororum altera Sophia inter ſepta pariter clauſtralia votis religioſis ſe devinxit apud Clariſſas Tarnoviæ: cum quibus non abſimilem Angelis duxit vitam, exemplar facta pietatis, abnegationis, regularis obſervantiæ, ac omnimodæ Sanctitatis. Reliqui Fratres ac Sorores, quantumvis ſæculari vitæ nuncium non remiſerint, eam nihilominus vitam inſtituêre, quæ apud DEUM & homines eſſet in benedictione. Syllabum eorum habere vis? hunc tibi exhibebit Frater Rudolfius, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis; qui ob ingentia à domo hac tota, in Sacratiſſimam Religioſiſſimamq; familiam ſuam profuſa beneficia, ſuſcepit ad participationem meritorum Stanislaum de Rupniew Vjeyſki, Catharinam (noverca hæc erat Thomæ) conſortem, Thomam S. R. M. Secretarium, Caſimirum Presbyterum, Albertum, Benedictum, Catharinam, Sophiam Mariannam, Filios ac filias anno à nato DEO 1642 die 15 Martij, aſſumptionis ſuæ anno

 13.

13, ſubſcribente etiam Fratre Dominico Marino Magiſtro Provinciali terræ Sanctæ & Socio.

CAPUT III.

Prima literarum ſtudia, ac vocatio ad Societatem JESU.

AD excolendum literis animum, quam primùm per ætatem pueri licuit, directus à Parentibus Thomas, Cracovienſi in Academia, Polona nobilitate florientiſſimâ, ita ſtudioſum decurrebat pulverem, ut magnis paſſibus in virtute ac timore DEI procederet. Templa illi, precatorij globuli, ac quidquid pietatem conciliare poteſt, jam tunc erant in delicijs. Tempus quod alij luſu ac puerilibus ineptijs prodigunt, decurrendis Divæ Virginis, cui à primis ungvibus devotus erat, horis, aut viſitandis Eccleſijs impendebat. Coram Sacro tribunali frequentem ſe reum ſiſtebat, ac tum ſacræ accumbebat ſynaxi: meritus his alijsq; pietatis officijs id inter pares; ut communi vocabulo à diſcolis quidem & ad ſuam eum ſectam forma-

re

re volentibus, *Sanctuli*; ab aliis autem magis frugi juvenibus, nomenclaturâ *Innocentis* & *Angeli*, veniret. Communes ei ætati nævi, ne ſuis affricarentur moribus, perpetuum ſibi conſortium eorum interdixit, qui de laxiore vita, ac pravis moribus ſuſpecti haberentur: èconverſô quorum vita ſpirabat innocentiam, hi ſibi jurati Jonathæ, cum his agere frequentiùs, libentiùs converſari, uti familiariùs. Comis ipſe, ac ad omnes placidus, mira venuſtate morum ac gratia, accedente inſuper fere majore, quàm ætas ferret, rationis temperamento, omnium ſibi facilè devinciebat animos; moderatorum equidem, nunquam eis obnitendo, nunquam excuſando, ſed modeſtè omnes eorum nutus obſervando: æqualium autem, omnes honore præveniendo & obſequijs promerendo. Fluxerant inter hæc pietatis exercitia pueriles anni, cùm humanioribus literis excultus animus in ea ſe comperit ætate, in qua de ordinando reliquæ vitæ ſtatu prima debet eſſe cura. Quare multiplicare pietatis officia, augere devotiones,

ones, afflictiones corporis intendere; ne se DEUS gratiam vocationis celare vellet, aut eâ excidere permitteret. Sub hæc subijt animum amor singularis erga Societatem JESU, in cujus templo, ad D. Barbaram, habebat suum à Confessionibus Ordinarium. Huc ille toto corde aspirare, quia huc à vocante DEO se promoveri, imò rapi credebat. Verùm alia erat Divinæ Providentiæ circa Thomam ordinatio. Nam immatura illius vota ad scopum ei præfixum non nisi per Pontificias Cathedras, ac Senatorios Curules deducere placuit. Obibat tunc cum munere Provincialis Polonam Societatem Venerabilis Pater Nicolaus Lancicius, notæ Vir Sanctitatis: huic, collato cum Confessario suo consilio, supplex pro admissione dum parat accidere Thomas, ab eo ipso, priusquam quid eloqueretur; primo statim in limine prævenitur, ac *quid sibi velit Episcopelli accessus*, interrogatur? Cùmq; hic telam suam exorsus, sibi inter servos DEI locum concedi, ac se inter Societatis membra adlegi exoraret: remissusq; iteratò

teratò esset ad Pontificias infulas, indeq; parum spei superesse videns, extemporaneos pro causa sua oratores verbis lacrymas adjungeret; hoc quasi vaticinium â Provinciali audijt: *Iret modò & Divinæ voluntati obsequeretur. Ecclesia DEI te opus habet: morieris Jesvita.* Altè hæc verba insederant animo juvenis, ac ad agenda grandia, omnesq;, quas ut decursu videbimus, in ponendo Episcopatu perpessus est, superandas difficultates, erant incitamento.

CAPUT IV.

Vita in aula innocenter & feliciter acta.

SIc expeditus à P. Provinciali Thomas noster, quid consilij caperet ignarus, dum hinc quiete se Religiosa excludi doleret; inde secularibus turbis miscere formidaret: secum ipso, quid facto opus esset, disputabat. Apud alios Ordines religionem tentaret? vocatio deerat: alibi pro admissione ad Societatem pulsaret, aut apud eundem preces repeteret? vetabat Viri jam tum prophetiæ

phetiæ dono clari, Sanctitas, ac in dictis constantia. Sæculari se vitæ dederet? periculum salutis timebatur. Has inter salebras, dum quò se verteret, secum ipso consultaret: tandem stetit animo; acquiescendum vaticinio Viri omniū opinione Sancti. Quare jussis valere studijs aulicam meditatur vitam. Erat tum inter cæteras insignior aula Georgij Ossolinski S. R. I. Principis, Comitis in Tęczin, Supremi Regni Poloniæ Cancellarij, Viri non modò apud gentem suam Illustrissimi, sed & apud alias nationes, quas Legati Extraordinarij, sub Sigismundo III, & Vladislao IV nomine, non semel adijt, celebratissimi. Hanc illi, utpote cæteris facilè probiorem, ob vigilem Domini oculum, divina bonitas ceu orchestram quandā obtulit, in qua reliquam suam erudiret & aptaret vitam. Et aptavit quidē feliciter ille, inter aulæ turbines velut quodam Religiosæ Domûs tyrocinio ad omnem virtutem se se componens. Portis imprimis sensuum fidelem præfixit Ianitorem Timorem Domini; ne quâ aditū

ditum inveniret, quod innocentiam mentis & corporis vitiare posset. Custos sui ipsius, eorum cumprimis vitabat consortia, apud quos pudor est, non esse impudentes, & pro delicto habetur non legi in albo delinquentiū. Otium diaboli & aulæ pulvinar detestatus honestis horas omnes dirimebat actionibus, quas tamen communes cavebat esse illis animalibus gloriæ, famæ negotiatoribus (sic aulicos vocat Tertullianus) qui cùm frontem perdiderint, canis impudentiam, aut porci spurcitiam assumpsisse videntur. Sales ejus ad omnem honestatem conditi, verba nihil licentiosum, lingva nihil non decorum olebat. Stupebant omnes, singulariter Cancellarius Ossolinius, tam raram in juvene virtutem. Suspiciebant tam gravem inter aulæ lubrica constantiam; ob quod eum & sincerè diligebant, & meritâ quadam observantiâ reverebantur. Habebat tunc plures sangvine & virtute insignes in eadem aula consodales, è quibus alij Senatorio Regni Poloniarum Ordini postea inserti, alij Pontifica-

tificalibus clari infulis prodierunt, alij autem religioſam, præ honoribus ſæculi, veſtem elegerunt, nonnulli eorũ grandævo, & ſtatui Religioſo incorporato, ſuperſtites, mirum quantam probitatẽ extollebant ſui tunc contubernalis Thomæ. Pro lege perpetua ei fuiſſe, dictitabant; natu majores revereri, æquales honore prævenire, inferiores, quibus poſſet demereri obſequijs: viſum à nemine, temperantiæ fines excedere, vel modeſtiæ tranſilire leges; levitatem à nemine in verbis, licentiam in actionibus notatam: veſtitum non ad aulæ lenocinia comptum, talem tamen fuiſſe, qui ſe & Dominum deceret, ut plurimum è nigro holoſerico confectum: famulatum paucum ſed lectum, ac cui nævum nemo facilè objicere potuerit. Statis diebus indixerat ſibi jejunia in pane & aqua, ſingulariter quartis & ſextis ferijs ac ſabbathis, ſicut & vigilijs omnibus, ſolemnia feſta Domini ac Dominæ præcedentibus, quibus varias corporis adjungebat afflictationes, ceu certa ſervandæ innocentiæ inſtrumenta, ac con-

contra poteſtates tenebrarum harum potentiſſima remedia. Sic inſtructus epulis accumbebat Euchariſticis, vires inde contra omnes inſultus collecturus. Et hic quidem conſtans vitæ ejus aulicæ tenor fuit; quem dum ſatis ſuperq; probatum haberet Oſſolinius; juvenem cæteris diligere teneriùs, commendare uberiùs, & ad ſecretiora negotia adhibere frequentiùs. Ex quo factum eſt; ut ſigilli Reip. uni huic ex omnibus cuſtodiam crediderit, ac eundem totius Cancellariæ Regentē conſtituerit. Quod quidem aliàs onerosum munus, tantâ implevit diligentiâ, ut majorem in illo nemo deſiderare potuerit. Duò ſingulariter hoc in munere Divinæ circa ſe Bonitati in acceptis referebat Thomas: alterum, quòd cùm Oſſolinſciam domū expilâſſet nocturnus latro, unàque ſibi cum cæteris ſplendoribus ſublegiſſet aurum coronarium ſuæ commiſſum cuſtodiæ, miro modo per manus Judæi offæ inhiantis, nihiloq; melioris, quàm fuerit autolyci piceata manus, ſibi propè citiùs, Providentia Divina reddiderit; quàm

ablatum fuerit, aut ablatum crederetur. Ac ſic ſe à moleſtis cavillationibus, quæ in ſe cuſtodem cuſtode egentem intorquerentur, liberârit, malaq; præſciderit; quæ, ſi in manus falſarij cujuſpiam devenisſet nota hæc juſtitialis, cum inſigni æquitatis læſione conſui potuiſſent. Alterum: quòd ſe extremo vitæ periculo, quod ſibi malè cautus, ac tunc prope motus mente, commilito creârat, eripuerit. Projecerat ſe hic, altùm jam ſopito Thoma, in ſtratum, modicam, relicto inter contiguas chartas igne, capturus quietem. Verùm iſte in papyro fomitem nactus, totum brevi corripuit cubile, excitatumq; hominem ſui impotem, dum inter fumantes ædes, quod quæreret, non haberet; Thomam, adhuc è regione ſopitum invaſit. In hunc ille rabiem exerere, hunc ſuffocare; vel quòd repentino hoc in caſu, ut poſtmodum aſſèverabat Thomas, mente alienatus eſſet; vel quod crederet, facilè, ſi illum confeciſſet, ab obitu ejus ſe in alium cauſam damni omnis, ac præcipuè abſumptorum juris inſtru-

mento-

mentorum, derivare posse. Et luctabatur quidem diu cum illo Thomas; sed quòd ore cõpresso loqui esset impotens, corde ad DEUM verso votum vovit; ut se præsenti malo èriperet. Exinde paulò liberiori ut primùm profari licuit, blandis hominem verbis demulcet: videret, quid rerum hoc in discrimine ageret, quo si modo uterq; manus admoveret sævienti flãmæ, utcunq; adhuc obviã iri possit. Defunctus duplici hoc, incendij ac suffocationis, periculo Thomas, sospitatori quidem DEo, quæ vovit gratus persolvit; diem autem, quo Divina ope tam præsens evasit discrimen, solemnem Domino voluit. Occasione deniq; aulæ hujus cognitus Vladislao IV, primùm quidem in amoribus esse cœpit; tum in intimis negotijs status adhibebatur, & tanquam fidus administer, ubi secreto res opus habebat, vocabatur ad obsequia Regis; cujus tantum sibi conciliaverat affectum: ut de celeri ad eminentes in Rep. dignitates ascensu ejus, non ex vano augurarentur omnes rerum conscij, adnitente

 præci-

præcipuè Ossolinio: qui sicut cor Regis in manu habebat, ita totus in eo erat; ut tam fidelis servus sua non discederet ex aula, nisi facto gradu ad primas in Republica dignitates.

CAPUT V.

Spiritualem statum suscipit, fitq; Canonicus, & Abbas.

INierat consilia Ossolinius, de providenda pingvioris fortunæ conjuge Thomæ, ratus nusquam se melius virtutem præmiaturum, quàm si adamantino connubij torque, quo magnæ cuipiam familiæ colligatus fieret, donaretur. Novit nimirum pius Princeps, honorem tenerum nullibi majora sumere incrementa, quàm si præaltæ alicui Consangvinitatis arbori inseratur. Verùm alia mens erat Thomæ. Sibi ille malens vivere quàm uxori, quidquid sibi de thalamo cantaretur, Admeti melos videbatur, tamq; gratum accidebat, quàm nunquam acerbior sexta ærumna Herculi. Excusare primò, ætatis vix nuces

nuces egressæ interpositione; tum emissi de servanda castitate voti prætensione. Sed cùm detectâ quò ad ætatem excusationis calvitie, à religione autem voti facilè impetranda solutione, omnia in cassum caderent: ne incautus in uxoria compede perpetuam pati cogeretur servitutem, & spes suæ omnes uno ictu conciderent; pace Domini, tanquam deliberaturus de vitæ ratione, animum sacris S. Ignatij Exercitijs excolere statuit. Versabatur tum eadem in aula P. Albertus Słaski è Soc: JESU, Vir vitæ integerrimæ, ac multæ apud omnes autoritatis; quem quod Principes juxtà, ac plebejos exerrantes intrepidus corriperet, plurimàq; in aula Veronensem non Placentinum ageret, Polono idiomate *securim* vocabant. Is ipse Pater est, quem à morte Ossolinij jam senē Ujeyscius à Superioribus Societatis impetravit pro solatio Spirituali Theologum: cuiq; Frauenburgi in Curia sua demortuo, solenniter parentavit, cùm cadaver Brunsbergam ad sepulchra suorum, in assistentia ad funus Congrega-

ti Ven. Capituli Varmienſis, inferretur, die Auguſti duodecimo, Superioris ſæculi anno quinquageſimo tertio. Hunc ergo Virum ſicut ſibi ac conſorti ſuæ Cancellarius elegerat à Confeſſionibus, ſic & Thomas ſuæ conſcientiæ arbitrum, ac exercitiorum voluit eſſe directorem. Et proceſſerat aliquot jam dies in ſacra hac ſolitudine Thomas, cùm novo ardore ſeſe ad petendam Societatem inflammari ſentiens, tentanda omnia tentare, donec ſibi ad eam acceſſus pateat, decernit. Quod tamen ne clam directore ſuo minus fauſtè ageret, ei totum tum conſcientiæ tum vocationis negotium aperit. Hic, quia magnæ eum, ac prope inſuperabiles, ab amoribus Oſſolinij, nunquam permiſſuri, ut intra clauſtrum aliquod tam fidum ac dilectum ſibi pignus recondatur, difficultates adverterant, diſſvadere; quidquam hac tempeſtate tentandum. Quemcunq; enim ageret actum; ſcire ſe, quo apud Dominum ſit loco, qui eum nulla vi ſibi eripi paſſurus eſſet; differenda omnia in tempus illud, quò ab aula liber ſit

futu-

futurus; tunc afflaturam auram, consecuturum ad vota eventum, ac vaticinio Lanciciano locum futurum. Vana hæc, & infringendæ hominis constantiæ, ac à proposito avocandi inefficacia fuerunt. Quare Pater verso stylo in contraria, agere eum, quæ agit, jubet; laturas poma myricas; indubiè illum ad Societatem recipiendum, sed eam in qua vir & mulier unum corpus sunt, ubi vel modica Regi aut Cancellario de ejus proposito notitia obrepserit. Hæc vatem se canere, hæc quando ita lubet, experturum ipsum. Pupugere verba Thomam, ac tantam vim & efficaciam habuere: ut repente in diversa mutârit consilium; ac ne, dum moras trahit, vinculis incautus irretiretur conjugalibus, habitu se clericali induerit, probante equidem Cancellario, stupentibus autem universis, qui in Thoma Virum inter sæculi magnates eximium sibi promiserant. Exinde Ecclesiasticus honor dignum promeritus subjectum, in eum magno pondere incumbere visus est. Statim quippe eum Canoni-

corum Plocensium albo ad præsentationem Adami Bielinski Dapiferi Zakrocimensis inseruit ad annum 1647; tum Præposituram Varsaviensis Collegiatæ in eum devolvit: ac non multò post benevolentiâ Regis Optimi Abbatiam Plocensem Ordinis S. Benedicti, in qua certum ad ulteriora fastigia gradum habitura esset virtus ejus, se ipsâ magis, quàm ipsis honoribus honoratior. Et admisit equidem Thomas hos ultro in se devolutos honores: quia tamen novit difficilè esse, se à vanioris licentiæ pulvere servare immunem, ubi secundior hic ventus afflaverit; vigilem ad omnes actus oculum sibi esse voluit, præfixis certis legibus, juxta quas reliquam ordinaret vitam, & si quam deprehendisset moribus adhæsisse vanitatem, emendaret.

CAPUT VI.

Familiaris supra se reflexio Ven: P. Thomæ in vita sæculari.

JUvat hic ob oculos ponere ea, quibus inter lubrica aulæ, ac plurima caden-

cadendi pericula, eam constantiæ, ac firmæ virtutis soliditatem assecutus est, quam non facilè speres in ijs, qui mollibus vestiuntur, & in domibus Regum sunt. Suffurrabatur se sibi frequenter, ac negotijs suis: ut se se intra se colligeret, ac quid sibi deesset, quasi in speculo contemplaretur, cum tanta intensione animi; ut totus æstuans è loco, ad quem pro brevi eo tempore se receperat, non raro prodierit lacrymis per genas decurrentibus; necesseq; habuerit indentidem declinare tantisper congressus obviorum, quòd impotens esset sibi à singultu & gemitibus temperare. Accepi hæc, unà cum excerptis ex autographo ejus, ab eo; qui pluribus annis illo amicissimè usus est, qui & fatetur, ei sequentes aphorismos ita fuisse familiares: ut quasi in habitum transiisse viderentur. Sunt autem sequentes.

Elige quotidie saltem quadrantem horæ ab omnibus alijs negotijs liberum, quo ad talem deflectas locum, in quo tibi nemo sit impedimento. Ibi rejectis aliis cogitationibus, provolutus in ge-

nua, effunde coram DEo tuo animam tuam, ac rumina aliquam ex ſequentibus veritatibus.

Ima Veritas. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? mors certa, hora incerta: & poſt hanc ſtrictum DEi judicium. Ubi nunc ſunt divites illi ſæculi? Tu quam viam tenes? ad infernum, an ad ignem purgantem properas? proficis in virtutibus, an vitiis? Signum bonum eſt inter cætera: ſi plùs angeris prolato verbo otioſo, quàm ullo diſpendio temporali.

2da Veritas. Moriendum eſt. At mortis hora occulta; ſaniores te non raro repente rapti ſunt. Sera pœnitentia raro vera, Quodſi cura ſalutis nunc laborioſa eſt; illo puncto temporis, quo anguſtiæ te tenebunt undiq;, propè erit impoſſibilis. Quid tunc proderit ſcientia & ſubſtantia? Quid proderunt opes, quibus corradendis vitam impendiſti? A morte tua te tanquam cadaver putridũ averſabuntur omnes, magis ſoliciti de te quantocyus abjiciendo in tumulum,

quàm

quàm de animæ tuæ subsidio. Vera ne sunt hæc? si ita? vide quid faxis.

3tia. Stabis aliquando coram judice ultionis judicandus: quem tibi providisti Patronum? Sanctos? ô quàm parva tua erga illos promerita! Sicut modò DEus tibi est misericors, ita tunc justus erit, impunitum non permittens transire etiã otiosum verbũ. Stabit Dæmon inhians animæ tuæ, dicensq; ; meus est, quia mihi servivit, cùm tamen pro illo non mortuus fuerim, nec quidquam illi boni fecerim. Quid tunc cogitabis anima mea? Sancti trepidârunt in morte, etiamsi melius te DEo servivêrint: & tu securus de salute tua vis esse? Peccasti: age pœnitentiam. Nulla enim satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.

4ta. Scriptura occinit homini judicando illud Habacuc 2. *Repletus es ignominia pro gloria; bibe tu quoq;, & consopire; circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Reddenda est miseræ animæ ratio de quovis momento, asse, verbulo, socio, famulo: adstabunt judicio Sancti agen-

agentes ea, quæ habet Scriptura: *Lætabitur justus cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sangvine peccatorum.* Hæc credis anima mea, & non expavescis eum, qui etiam in Angelis suis reperit pravitatem: & ita vivis, quasi nulla tibi reddenda esset ratio? Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates tuæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera tua: tot judicibus inops adstabis, quot te præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confunderis, quot tibi præbuerant benè vivendi exempla: tot convinceris testibus, quot te monuerunt proficuis sermonibus. Latere erit impossibile, apparere intolerabile.

5ta. Circumstantiæ judicandi peccatoris sunt: Diabolus stabit à dextris ejus, & non erit ei adjutor; in memoriam redibit iniquitas ejus: vermis ejus non moritur, & ignis illius nunquam extingvitur: induet maledictionem sicut vestimentum, & sicut zonam qua semper præcingitur. Fertur decretum, à quo nulla est appellatio. Æternum malè. O quale

quale illud malè? & finem non habet, & æternum eſt. Anima mea quid ſi hoc momento rapereris ad judicium DEi, eſſetne aliquid, quod tibi damnationi eſſe poſſet? Si eſt? adhuc relicta eſt ſpei anchora, horulâ unâ corrigere potes, quod omnis deinceps negabit æternitas.

6ta. Maledictis dicit Dominus: Nec ego DEUS veſter, nec vos populus meus. Terribile fulmen! & quid poſt hoc ſequitur? Æternum væ, æterna æternitas. *Erit populus quaſi eſca ignis. Vir fratri ſuo non parcet. Unusquiſq; carnem brachij ſui vorabit.* Iſai. 9. Quã horrenda res eſt, ſine fine torqueri! Licèt unus tantum ex omnibus filiis Adæ tali ſupplicio eſſet mactandus, meritò omnibus pavendum ac trepidandum eſſet. Deſcende illuc anima mea adhuc vivens; invenies ibi tales, qui olim in iiſdem officijs & ſtudijs occupabantur, quibus tu occuparis: qui olim eadem indies propoſita benè vivendi parturiebant, quæ tu; qui centies DEo fideliùs ſerviverunt, quàm tu. Interroga eos de quæſtionibus, quas inter ſe conferunt, & reſpon-

ſpondebunt: apud Inferos ſolùm quæritur, quid non ſit pæna? Interroga de ſcientia eorum, & reſpondebunt: omnium quæcunq; ſciebam, oblitus ſum, ſolùm mihi ſupereſt hoc ſcire, quòd æternum perierim. Interroga de opibus & honoribus, de turba & conviviis; de amicis ac ſodalibus: reſpondebunt Dereliquit nos DEUS factor noſter, perditi in æternum erimus

7ma. Quid tibi mali fecit DEUS, Salvator tuus; quòd ob modicam voluptatem rurſus ejus tortorem agis? cur addis afflictionem afflicto? magis eum aggravant vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis ſui. Nonne ipſe pro te acerbiſſimam mortem ſubiit? Judas ſaltem pro pretio venditionis habuit triginta argenteos, tu nihil habes, & in eum crudelior es: Statue ob oculos Patrem æternum hinc tibi exhibentem vulnera Filii & ſangvinem, ac per eadem orantem, ne pecces ampliùs; inde offerentem gratias ac cæli delicias, pro præmio. Statue ex adverſo Diabolum te invitantem ad peccatum ſponſione infer-

inferni. Elige, quem audias; DEUM, an Diabolum? medium nihil est. Diabolum si sequeris, ipso pejor es Diabolo; ille enim persistit in malitia DEo reprobante, tu DEo revocante: ille obduratur contra non requirentem se, tu contra morientem pro te. Quid tibi mali fecit DEus?

8va. Anima peccato mortali sordidata mancipium est Diaboli. Eam quavis hora posset ad inferna rapere, nisi magna DEi misericordia impediret. Imò anima peccato mortali sordidata Diabolus est. Quantum malum sit hic Diabolus, ex hoc conjice. Si omnes Sancti & Angeli DEi, imò ipsa Virgo pretiosissima, pœnitentiam agerent in cilicio & cinere ipsaq; adeò subirent tormenta inferni non delebunt maculam peccati mortalis. Christus ipse, nisi esset verus DEus, non afferret remedium. Anima mea visne ejusmodi fieri Diabolus? quæ tibi ad hoc sunt incentiva? Si sapis, renunciabis operibus Diaboli.

9na. Quis plura ab indignioribus, cum majore

majore detrimenro famæ ac vitæ, cum majore ignominia passus est? tu, vel Christus? quis plures habet patiendi causas? tu, vel Christus? Ille est, qui peccatum non fecit, ille Sanctus Sanctorum, Sanctitas ipsa; & tu totus in peccatis natus. Aut DEus atrox est in Filium suum, aut summè necessarium nobis est pati cum Christo: meliorem te Filio DEi judicare non potes, nisi Lucifer sis. Illum oportuit pati; & tu in patientia possidebis animam tuam.

10ma. Quidnam illud est, ex quo intumescere possis? Ex corpore? hoc est esca vermium, saccus stercorum. Quàm miserum id est in infantia, quàm varium in adolescentia, quàm morbidum in senio! An fortè superbire potes ex anima? hæc peccatis fœdata est, ac ob id infami dæmonis cauterio inusta. An ex talentis ingenij? At Diabolus ingeniosior est: & parum refert, habere ingenium, si te ipsum non nôsti. Benè Kempensis. Parum prodest alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati. An fortè superbies

perbies ex alijs imaginabilibus dotibus, bonis ac meritis tuis? at hæc quantula sunt, si debita tua contracta apud DEum per ea exolvere non potes. Quantulus es sine DEo? quantulus es in comparatione tot millium meliorum te?

Breviores Considerationes ejusdem.

1. Quid de te fiet in hora mortis? 2. Quid potes sine DEo? 3. In quem finem te creavit DEus? 4. Verène volo esse in cælo? 5. Errata vitæ jam non emendabo post mortem. 6. Nulli adulto cælum gratìs datur. 7. Non est ludus hæc vita, aut si est ludus hæc vita, non est ludus & altera vita. 8. Quid facerent maledicti, si possent salutem consequi? 9. Quanto DEus & cælum digna sunt, & quanto peccata mea? 10. Quid proderit fuisse Dominum mundi, si anima facta fuerit mancipium Diaboli? 11. Quid magis optabile, benè habere die uno, & malè anno; benè habere anno uno, & malè annis sexaginta; benè annis sexaginta & malè tota æternitate? 12. Commisisti peccatum, per quod infernum promeritus es, & ignoras,

ras, an illud tibi ſit remiſſum. 13. Poſſum hoc vel illud opus bonum facere, hoc vel illud malum omittere, & DEus id ipſum ſcit & vult. 14. Hæc omnia, quæ circa te ſunt, relinquenda erunt. 15 Ita ſemina, ut poſſis metere in cælis. 16. Quamdiu bone JESU pulſabis oſtium cordis mei? 17. Nonne hodie implebo menſuram peccatorum meorum? 18. Quis tamen ſenſus eſt Angeli Cuſtodis de me mei? &c.

Hæc & ſimilia pietatis exercitia fomenta erant Spiritûs Ujeyſciani, adhuc inter tumultus ſæculi agentis; hi ad decurrendam viam virtutis ſtimuli; his ſe ad omne genus pietatis per heroica promovebat propoſita, quorum aliqua ipſius manu ſignata videre mihi licuit, ac inter cætera hoc nominatim. Reditus qualeſcunq; erunt, curabo converti. *imo* pro me ipſo moderatè, & ad ea tantùm, quibus indigebo, ſuperflua evitando. *2do* pro familia, & eorum debitâ in tempore ſolutione, habito ſemper reſpectu pauperum Chriſti. *3tio* pro monaſterio Plocenſi inſtaurando tam in perſo-

personis, quàm in ædificijs: quod mihi quàm citissimè faciendum est, &c.

CAPUT VII.

Regis Vladislai morti, ac Cosaticæ pacificationi interest.

OBtinebat primas in amoribus Vladislai Regis Thomas, & tanquam fidus administer, quantum per rationem statûs Clericalis liceret, ad intima adhibebatur in arduis omnibus; apparebatq; ex tali semine uberem brevi honorum messem surrecturam: cûm inopina spem omnem in herba præscidit mors Regis Optimi, omnibus quidem bonis lamentabilis, Thomæ tamen singulariter dolorosa; utpote qui & se cordi esse Principi sciret, & vicinior morti ejus fuerat. Supremum enim luctanti proximus adstitit, ac ut postea non rarò ajebat, suis incumbentem manibus, dum expiraret, sustinuit. Accidit gloriosissimi Regis mors, anno post Christum natum 1648, Merecij in Litvania, morbo quidem non tam corporis, quàm interiore aflictione animi accelerata. Præterquam enim,

 quod

quòd unicam, in qua ſpem omnem poſuerat, prolem maſculam per mortem amiſerat, quidquid ad Nominis ſui famam glorioſi concipiebat, ſuſpicio affectati dominatûs, ac opprimendæ libertatis allidebat ad petrã. Inſtituerat novum ordinem militarem Equitum Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, quem certis legibus definitum Urbanus VIII, rem fervidè agente ſæpe dicto Oſſolinio, approbârat ad annum trigeſimum ſeptimum ſæculi ſuperioris. Sed à malè ſuſpicacibus, ratis novos in Polonia parturiri Crucigeros, patriam pro hoſtico habituros, primùm quidem acerbius accipiebatur; tum per diſſenſum Ordinum, authoritate Comitiorum Generalium, in herba ſublatus eſt, Rege multùm dolente, in irritum cecidiſſe ea ſemina, è quibus ſecuturis retro ſæculis heroës eſſent naſcituri. Cogitabat non rarò caſtra locare in hoſtico pro recuperandis Provincijs avulſis, princeps ad heroica natus; ſed nimiam in eo veriti felicitatem ſtatus, quidquid moliretur, ut ſuam Penelope

telam, retexebant. Vltimum, quod (ut ajunt) vitalia cordis pupugit, erat exauthoratio legionum militarium, publicis Comitiorum mandata decretis. Scripſerat has contra Portam Ottomanicam: verùm quòd inconſultâ Republicâ id factum fuiſſet, malè à pluribus accipiebatur, interpretantibus parari hoc belli pretextu libertati compedes, ſolvendum juramento militem novitium; neq; eſſe irritandam belluam Turcicam, dum dormit Polonia. Quantumvis autem Venetiæ, quibus tunc inhiaturus hoſtis Chriſtianitatis videbatur, Herculem è Polonia peterent, non eſſe tamen incendendas ædes Poloniæ, ut fumo illo Turca terreatur. Deniq; res eo ſtrepitu in Comitijs generalibus agitata eſt; ut absq; ſpe refuſionis impendiorum, militem manumittere coactus fuerit. Ex his, quaſi lethalem ictum accepiſſet, brevi contabuit Princeps immortalitate digniſſimus, cui nominis ſui gloria omni vitâ carior fuit. Solebat Thomas non ſine pio motu cordis, ac la-

 crymis

erymis recolere, quæ circa mortem tanti Regis contigerant, & qua erat humilitate, ſibi ipſi tam reſignatam, ſupremo hoc articulo, voluntatem in manus DEI precabatur, quam in Heroe hoc viderat & ſtupuerat. Et cui non ambæ tinnirent aures audienti; Regem potentiſſimum præmortua voce jubentem, pandi palatij ſui fores omnes ac feneſtras; ut ſuis quisq; oculis videat, quàm non diſpar ſit Regis morientis conditio à fato cæterorum hominum. Quàm vellem, ajebat, nunc toti mundo eſſe ſpectaculo, ut in me videant univerſi, quanta ſit humanarum rerum, ac præſentis vitæ vanitas, quantaq; ſuper me DEI miſericordia & benignitas! Sublato è vivis Vladiſlao, etiam Polonia quieta eſſe deſijt. Per tempus enim interregni, rebellionis Coſaticæ claſſicum inſonuit ſub duce Theodoro Chmielnicki, ad quod ſchiſmatica plebs in Dominos exardeſcens, flammis bellicis omnia corripuit. Patuit hac tempeſtate, quàm verum ſit illud: terram tremere cùm
ſervi

servi dominia excutiunt. Et illud, cuncta feriunt, dum cuncta timent; desæviunt in omnes, ut se posse putent. Ivere tunc in cineres avitæ à tot sæculis domus, excisæ familiæ nobilissimæ à gente rustica, totaq; Vkraina, Florentia illa Poloniæ, ferale non nisi bustum fuit. Et tentatum quidem tunc fuit, ut ignis ille, sublimato mox ad regale solium Ioanne Casimiro Fratre demortui Regis, in suo exortu extingveretur: sed quòd infidelitas, metusq; jugi durioris plebem sufflaminârint; in majus semper incendium furor rebellium, quasi in fuso nobilium sangvine fomitem nactus esset, excrescebat, donec Offolinius renunciatus copiarum Polonicarum Dux Generalissimus, quē comitem sequebatur Thomas noster, reconciliato prius Hano Tartarorum quondam in Polonia captivo, nunc autem partes rebellium sequente, sub Zbaraz, quod rebelles obsederant, & Zborow, supplicem Regi Chmielniciū prosterneret, multum quidem tunc pacis promittentem, sed, quæ perfidia est

 gentis

gentis Græco-schismaticæ, parum in promissis fidelem?

CAPUT VIII.

Adoptatur in Coadjutorem Custodiæ Gnesnensis. Mors Ossolinij.

LIgârat jam suis Honor Ecclesiasticus vinculis Thomam: ut eum tamen arctiùs sibi devinciret, alios ei identidem in alijs Prælaturis nexus induit, hoc maximè gloriosissimos illi futuros, quòd olim disrumpendi essent generosiùs per sui in Domo religiosa oblationem. Annus à nato DEO quadragesimus septimus post millesimum sexcentesimum volvebatur, cum Ioannes Gembicki, tunc Custos ac Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis (is qui postea Plocensium factus Episcopus Diæcesim illam meritis, regnum sanis consilijs illustravit) Thomam à primis annis sibi familiarem, ac ab inculpata vita notissimum, Coadjutorem in Custodia, & Canonicatu Gnesnensi, probante Innocentio

tio X. Pontif. Max. sibi assumeret. Quam ipsam Prælaturam, promoto ad Episcopales infulas Gembicio, mox de integro possedit, plaudente Archiepiscopali Cathedra, quòd rursus talis in medio suorum Canonicorum virtus numeraretur: approbantibus autem bonis omnibus, quod virtutem talem honor proveheret ad sublimiora. Et quidem Thomas tunc adhuc adhærere cogebatur sæpè dicto Cancellario, plurium ejus rectè factorum cooperator, consiliarius & author, jam in bellicis expeditionibus, jam in togatis pro republ. laboribus, atq; ut cætera taceam, in decantato illo Acatholicorum cum Orthodoxis Colloquio Thorunensi, sterili illo quidem ac infructuoso; si tamen fructus dici nequit, quòd diffidentes in eo inter se collisi, in plures sectas scissi, dentes contra se mutuò converterint; Ossolinio splendida ad partes Oratione Regis sui consilium, ac in fide concordiam conventui exponente. Verùm & ab eo ligamine, præciso Ossolinij vitæ filo, liber evasit. Obijt heros iste im-

mortali dignus memoria, anno elapsi sæculi quinquagesimò, clarus imprimis à Legationibus, quas pro Reip. bono obijt; Romæ videlicet apud Urbanum VIII, à quo Ducalem; in Germania apud Ferdinandum II, à quo Principalem mitram cum titulo S. R. I. Principis adeptus est; in Britannia apud Jacobum I, in Hetruria, apud Venetos, & alibi, ubiq; magni Oratoris nomine, imò Oratorum sui temporis Principis adeptus, Vir à natura & virtute eximijs instructus dotibus, amore boni publici commendatissimus. Obijt autem post erectam à se in Claro monte Czestochowiensi aram novam, pro Imagine Virginis DEiparæ, à S. Luca depicta, ac miraculis clarissima: cujus aræ totum corpus faberrimè elaboratum ex hebeno cernitur, columnarum capitellis ex puro fusis argento, ac interpositis inter columnas Sanctorum statuis, pariter ex argento ad mensurā hominis elaboratis. Opere tam magnifico absoluto, è mortalibus excessit, ad occupandam in terra viventium possessionem tam sumptuosè emptam.

CA-

CAPUT IX.

Sepelit parentem ſuum, ac novercæ providet.

TErtium hoc vulnus eſt, quod inimica mors inflixit Thomæ in ſublatione è vivis dilecti Parentis ſui Staniſlai. Quod quidem tantò illi accidit acerbiùs, quantò magis cordi eſt filio probo vita Patris. Vixerat ille bonam jam ætatem, ac ſenio appropinquabat; cùm pro mercede operum ſuorum Retributori DEo eum evocare placuit. Et verò ſpes non fucata eſt, non mediocrem ei obtigiſſe gloriam, reflectenti ſe ſuper inſignia Chriſtianæ pietatis officia ab eo exercita. Nam præter conſtantem à primo converſionis die zelum fidei, totum ſe in afflictorum ſolatia, ac ſublevationem pauperum impendit, in horum identidem totos greges, largas effundendo eleemoſynas, illorum autem bono varia providendo charitatis officia. DEi timore ita ſuas condiebat actiones, ut peccatum omne, omneq;

omneq; periculum ac speciem ejus quàm longissimè declinaret. Frequens in exercitijs virtutum redimere curabat tempus, quod olim Calvinum sequens extra Ecclesiam prodegerat. Nemo non in illo Virum virtutis amantem, ac omnis boni & æqui zelatorem suspexit. Quæ sanè ejus integritas ac in agendo rectitudo tantum viro conciliaverat amorem nobilitatis, ut in illius sententiam lubens volens quisq; concederet. Boni deniq; communis amor in eo semper eximius fuit, hoc optimis promovebat consilijs, hoc privata pietate potius habebat, hujus integritati se cum vita & fortunis totum devovebat, solitus dicere: dignum non esse, qui vivat inter homines, cui cordi non est communis salus, sed ad bestias, quærentes duntaxat quæ sua sunt, abjiciendum. Huic ergo tam bono Patri, ut condigna justa persolveret Thomas, persvasit pietas. Quantumvis enim nunquã magni æstimârit funus splendidum; quia tamen supremum Patri officium exhibendum erat, piaculum fore judicavit,

si

ſi quid aut ad ſplendorem funeris exteriorẽ; aut ad animæ ſolatium deficeret. Stupebat tota nobilitas Sendomirienſis, quæ una cum aliquot regni Senatoribus frequens confluxerat ad honorandum ultimo obſequio virum primæ apud ſe authoritatis ac amoris; viſiſq; ingentibus impendijs tum in ſtructuram funeris, tum in ſacrificia Miſſarum, ac ſtipem pauperum, benedicebat Filium tam erga demortuum parentem ſuum pium ac gratum. Supererat noverca (Mater enim puero eo diem ultimum clauſerat) poſt mortem Patris. Erga hanc ut filialem pariter teſtaretur affectum, bona omnia, quæ ſibi à Patris morte obvenerant, ad vitalitium (ut ajunt) conſignat; nolens quidquam de eis tangere ipſa ſuperſtite. Verùm proba mulier, vel quòd ſtuperet tam rarum erga ſe charitatis affectum in privigno, vel quòd ſine rei familiaris moleſtâ curâ, aliter ſuis providendum neceſſitatibus ſperaret à tanta pietate, actis pro affectu gratijs, ſediſſe ſibi animo, reponit; reliquam vitam

tam procul negotijs, ad aſceterium aliquod Sacrarum DEo Virginum, obſequio DEi impendere. Sibi proin tantarum poſſeſſionum adminiſtrationem parum utilem futuram: prout defacto ſtatim ad Cænobium Clariſſarum ſola cum adminiſtra, in ſtatu viduali ſervitura DEo cum omni humilitate, conceſſit. Thomas interim, ne quid de amoris filialis obſervantia ſibi deeſſet, extemplo viduæ millia viginti in neceſſitates vitæ numerari fecit, ac dein quoad vixit, in omnibus ita providit; ut ipſamet fateretur, ſe ne quidem de tam pio audiviſſe filio, qui tanta fecerit Matri, quanta hic ſibi faciat novercæ. Sed nec ullus credere poterat novercam; quem, vel cum præſens eſſet, reverentia Thomæ erga illam, vel cum abſens ageret, provida in ſublevandis illius neceſſitatibus ſolicitudo, & ſolicita in procurandis omnibus, quæ neceſſaria judicabantur, providentia, adverteret.

CA-

CAPUT X.

Fit Canonicus ac Præpositus Varmiensis; ubi quædam de Alberto Rudnicki ejus temporis Canonico.

QUietem post aulæ negotia jam tandem respiciebat Thomas: quam quidem in domo Religiosa hoc rerum turbine frustra expectaret, quo hinc Moschus ferociens Litvaniam populabatur, inde Gothicus Leo per Poloniam effusus conterebat universa; hinc à rebellibus Ukrainæ ignis excitatus in favillas & cinerem totam redigere parabat Poloniam, inde domestica discordia ultimam omnibus ruinam meditabatur: quorum omnium metu, domus ipsæ Religiosæ peregrè abire, ac securitatem in exilio quærere cogebantur. Et quidem obtigisse quietem aliquam Thomæ hac inquieta ætate dicere non nemo poterat, gratiâ Serenissimi Poloniarum Regis Joannis Casimiri; cùm ad eminentem ipsius virtutem, affectumq; Vladislai Fratris ac Prædecessoris

ſoris ſui, oculum intendens, cogitanſq; optima aliqua in Rep. dignitate eum præmiari, ut ſecuturis præluderet honoribus, Varmienſi eum Capitulo Canonicum, dum potior vacaret dignitas, inſeruit. Eſt autem Varmia una ex florentiſſimis Regni Poloniarum provincijs hoc nomine nulli ſecunda, quòd illibatam Chriſti fidem, Religionemq; orthodoxam, à primo Converſionis die ſemper conſervaverit. Terræ hujus bonitatem Coſmographis depingendã relinquo; mihi id commendationis ſatis ſuperq; eſt: quòd nullos ea lupos, nullas viperas, nulla nociva patiatur animalia. Neq; enim ibi ullus Judæo, ullus hæretico manendi locus eſt. Judæos lex publica, ob Euchariſtiam dolo malo ſublatam, ac retis piſcatorij ligno incluſam, in perpetuum excluſit, teſte Joanne Leone, Decano Gutſtadienſi in hiſtoria Euchariſtiæ: hæreticos autem cujuſvis ſortis ac nominis, ſingulari RR. Epiſcoporum ac Prælatorum Varmienſium cuſtodiâ (utinam perennet!) ultra unius anni orbitam ad reſipiſcendum con-

conceſſam, non ſuſtinet. Quo quidem id effectum eſt, ut licèt per circuitum undiq; hæreſibus, ceu ſpinis, cingatur Varmia; ſicut lilium munda & Virgo in fide Catholica permanſerit inviolata. Præerat, dum à morte Joannis Perović Canonici, ſucceſſor crearetur Thomas, Varmiæ cum poteſtate Epiſcopi, & Principis S. R. I. Venceſlaus Comes de Leſzno Leſzczynſki, Vir ut ſangvine, ita virtute præcellens, quem Gneznam translatum Archiepiſcopalis cathedra excepit primatem. Præpoſitum Ven: Capituli egit Albertus Rudnicki, Vir vitæ ſanctitate eximius, ac Pater pauperum dictus; qui ſicut vivus eos prope in manibus geſtaverat, ita defunctus non niſi eorundem humeris ad ſepulchrum deferri voluit. Hujus viri virtutes in authographo, manu Ven: P. Nicolai Lancicij exarato, ac teſtimonio ejuſdem roborato (quod per Thomam noſtrum impetratum eſt à P. Balthaſare Rogalſki, tunc Rectore Collegij & Academiæ Vilnenſis Soc: JESU, unà cum ejuſdem literis hac ſuper re

 datis)

datis) ad perpetuam tanti viri memoriã connotatæ, ſervantur inter cætera Ven: Capituli Varmienſis monumenta. Eas ipſas hic adjicere, non erit abs re: tum quia tam eximia virtus acerrimum addidit calcar ultro currenti Ven: Thomæ noſtro; tum quia & poſteritati ſtimulus eſſe poteſt ſalutaris.

Virtutes Perilluſtris ac Reverendiſsimi D. Alberti Rudnicki Præpoſiti Eccl. Cathedralis Varmienſis, manu Sanctæ memoriæ P. Nicolai Lanciciy è Soc: JESU, connotatæ.

1. AB omni peccato abhorruit etiam veniali, quod nunquam in converſatione ejus per aliquot annos deprehendi: ideo ſæpè in Confeſſionibus ſuis coram me factis non inveniebã in eo materiam dandæ abſolutionis.

2. Nullum pauperem eleemoſynam petentem ſine illa dimiſit.

3. Pauperibus medicinas, quas multas pro ſe habebat, petentibus, & victualia ſine tergiverſatione ſtatim dari

jube-

jubebat.

4. Plures quàm centum pauperes & mendicos ſepeliri ſuo ſumptu curavit, & tumbas illorum corporibus parari jubebat, & cadavera eorum deferri ad ſepulchra honeſtè, & faces à familia ſua deferri curabat, dum ad ſepulchra efferrentur.

5. Qualibet feria quinta Burſiſtis (ſtudioſis pauperibus) prandium dabat meliùs, quàm in Burſa haberent.

6. Quolibet die domi ſuæ aliquot pauperibus prandium dabat.

7. Qualibet hebdomada Burſiſtis præter prandium dabat Eleemoſynæ groſſos quindecim.

8. Et carnem & animam ab omni impuritate contraria caſtitati immunem habebat.

9. Totum tempus ſine otio tranſigebat in lectione librorum Spiritualium, præſertim Ludovici Bloſij & aliorum, vel in oratione. Nam præter horas Canonicas habebat aliquot libellos plenos devotiſſimis precibus, quas quotidie præter Breviarium Sacerdotale, devotè

 reci-

recitabat.

10. Ex pio zelo & puro DEi amore valdè triſtabatur & dolebat, quando audiebat aliqua re Divinam Majeſtatē offendi, præſertim dum ſtatuta Epiſcopatus, jurejurando confirmata, videbat violari.

11. In adminiſtratione Allenſteinienſi, quam per ſex annos tempore belli & in vicinia militum gubernavit, ſubditos cum paterna charitate & beneficentia tractabat, adeò, ut & nunc eum tanquam Patrem ſuum ament & laudent.

12. Occultas eleemoſynas ſæpè dabat & pecuniarias & alias; ideo non reliquit tantum peccuniæ, quantum aliqui alij Confratres antè ipſum mortui reliquerunt.

13. Rerum Spiritualium erat peritiſſimus; quam notitiam aquiſivit partim ſanctè vivendò, partim ex perpetua librorum Spiritualium lectione.

14. Cum Religioſis agens tàm ad menſam, quàm alio tempore, ſermones de rebus Spiritualibus inſtituebat, dubia Spiritualia eis proponendo, ac circa

ca illa difcurrendo: & circa res Theologicas, dum erat fermonis materia, ac fi infignis effet Theologiæ Doctor, dabat refolutiones bonas, ac principijs Theologicis omninò conformes.

15. In hac tam diuturna infirmitate tota, dolores toto corde ingentes diu noctuq; tolerabat cum magna patientia & conformitate cum voluntate Divina, offerens fe DEo: & fi vellet ita illum affligi perpetuò, dum viveret, erat contentiffimus, & fuos omnes dolores uniendo cum Chrifti Domini doloribus Domino commendabat.

16. Eo die quo mortuus eft dolores ceffarunt, ut quietius actus virtutum antè agoniam Domino offerret. Actus autem ultimi ejus, die mortis hi erant: Domine doleo de peccatis. Sit nomen Domini benedictum. Domine da mihi gratiam tuam. Beatiffima Virgo MARIA, & omnes Sancti non derelinquite me.

17. Rogavit me pridem, ut tempore agoniæ, fi ipfe non poffet loqui, nec legere (uti nec poterat) ego ejus nomi-

ne actus legerem scriptos ejus manu, & subscriptos & sigillo ejus munitos. Legi illos eo audiente, & ejus jussu posui supra pectus ejus mortui cum participatione meritorum data sibi à Societate, & ab aliquot alijs Ordinibus.

18. Agoniam transegit sine ullo dolore, & motu corporis suavissimè, dormienti similis, sine ullo gestu & motu membrorum, sine eructationibus & alijs horrendis signis, & tam placidè expiravit; ut non adverterim eum mortuum, dum animam ejus Domino ex pacto inito cum eo, commendarem. Rogaverat enim me, ut in agonia nihil sonorè supra illum diceremus, sed relinqueremus eum suas devotiones corde proferre: toto enim tempore actus piissimos & orationes jaculatorias iterabat plenus spei & lætitiæ.

Hæc de Rudnicio, Viro communi omnium opinione Sancto, Lancicius: quibus addendam judico protestationem ejus aliquot ante obitum suum annis, manu sua exaratam ac sigillo munitā; cùm more suo redux ex visitatione miracu-

raculosæ Imaginis B. V. Lindensis, maturè disponere domui suæ in animum induxisset; cujusq; ipsum authenticum exemplar apud me habeo, in quo aliena manu hæc adjecta reperio: Hæc Protestatio post mortem inventa intra aliquot hebdomadas; ideo non est posita in tumbam. Est autem Protestatio verbis concepta Polonicis sequentis tenoris.

Protestatio facta à me Alberto Rudnicki Præposito Varmiensi, misero peccatore, desiderante, ut brevi hoc vitæ tempore, quod mihi superest, paratus inveniar ad diem ultimum meum, ne me insperata mors præoccupet: Siquidem innumera mihi nota sunt pericula, quibus exposita est vita hominum, scioq; me infelicem peccatorem esse morti subjectum, absq; eo quod sciam horam, qua me tollet factor meus positurus rationem mecum, ne repentina me mors imparatum inveniat: fretus auxilio DEi in animum induxi meum, parare me pro hac hora, quamdiu adhuc morulam temporis indulget DEUS.

Igitur toto corde & animâ proſtratus ad pedes Crucifixi teſtificor coram toto mundo, hanc & non aliam eſſe ultimam voluntatem meam.

Imo In nomine Patris & Filij & Spiritùs Sancti, profiteor coram DEo Omnipotente Patre, Filio, ac Spiritu S. Trino in perſonis, Uno in natura, & ſemper Immaculata Virgine MARIA, Cælorum Regina, Curiaq; cæleſti univerſa, me velle vivere ac mori in obedientia S. R. Eccleſiæ, credentem conſtanter omnes duodecim articulos fidei traditos ab Apoſtolis in Symbolo, admittereq; unà interpretationem illorum factam ab Eccleſia Catholica, imò omne id, quod & ſicut Eccleſia ordinata à Spiritu S, admittit, ſtatuit, ac intelligit. Verbo uno, teſtificor me credere id omne, quod verus Catholicus credere tenetur: in qua fide volo vivere, ac lætus moriar. Sin autem aliquid dixero, vel fecero, contrarium fidei, ſeductus à Diabolo, aut quomodolibet tentatus ab illo; nunc pro tunc vi præſentis proteſtationis retracto, caſſo, & annihilo, voloq; pro

 non

non dicto & infecto haberi.

2do. Pari voluntate protestor: me pro hora mortis meæ desiderare Sacramentum Pœnitentiæ, cujus si tunc aliquo casu non essem compos, jam nunc reum me pronuncio de omnibus cogitatis, dictis ac factis contra DEum, conscientiam, & proximum, de quibus infinities, doleo, optans tantillum spatij ad pœnitentiam, quo illa amaritudine lacrymarum mearum deleam, quas non tam timor inferni, vel aliarum pœnarũ, quàm dolor offensi boni infiniti eliciat, quod amare super omnia eram obligatus. Propono pariter, facturum me id cum gratia DEi ab hac hora ad ultimum instans vitæ meæ, nec ampliùs peccaturum.

3tio. Testificor pariter: me velle in termino vitæ meæ suscipere vitale Viaticum in Sacramento Eucharistico, quatenus per hoc vitale vinculum amoris perfectè unitus Domino meo, in plena pace decedam ex hoc mundo. Quodsi hujus tùnc copiam habere non potero, quod illud suscipere velim saltem spi-

ritu desiderij, adoremq; illud quanta possum humilitate, obsecrando; ne mihi denegare velit Dominus præsentiam suam hoc tam periculoso articulo, sed me tueatur à prædonibus inferni, ac deducat in portum perpetuæ felicitatis.

Protestor itidem, me nolle exire ex hoc mundo, nisi provisum Sacramento ultimæ Unctionis; quod pariter si ob aliquod impedimentum habere non potero, jam nunc illud desidero, supplicans DEo meo, ut omnes sensus meos oleo infinitæ misericordiæ suæ inungere dignetur; & quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliqui, indulgere velit.

Testor item, me eo tempore, quacunq; stante tentatione, non desperare de misericordia DEi, tam enormibus peccatis meis offensi; & quantumvis fatear, me iis æternum inferni supplicium millies promeritum, non tamē despero de infinita, DEi misericordia; cùm sciam alijs mei similibus iniquitatem peccati sui esse remissam.

Ad hæc profiteor, me nullam spem

pone-

ponere in bonis operibus ac meritis vitæ meæ. Si enim aliquando tale quidquam feci, confiteor illud plenum tempore ac imperfectione fuisse, nec ullo modo fieri potuisse, nisi cum speciali auxilio DEi. Confundatur ergo inimicus noster Diabolus; quia non osculor manum meam confidens arroganter in operibus meis, quasi ijs cælum promeritus essem; sed confido magis in meritis ac sangvine Domini mei pro me misero peccatore in ara crucis effuso.

Protestor insuper, me omnes infirmitates ac dolores mortis humiliter de manu DEi suscipere; in quibus, si (quod avertat Dominus) ob impetum incumbentium tribulationum ac difficultatem agoniæ, ad suggestionem inimici actum aliquē impatientiæ, imprecationis, murmurationis contra DEum, aut aliquem alium scandalosum elicuero; jam nunc de eo doleo, illum retracto, ac pro infecto haberi volo.

Vigore præsentis protestationis, condono omnes offensas & injurias mihi quandocunq;, à, quocunq; illatas, in fama,

ma, corpore aut fortuna: oroq; DEū, ut ijs pariter ignoſcat, eoſq; adjuvet. Viciſſim ego per JESU Chriſti ſangvinem, precor omnes & ſingulos; ut mihi pariter ignoſcant ea, quibus quoquo modo aliquem offendi.

Teſtor item, me infinitas agere gratias Divinæ Majeſtati, pro omnibus beneficijs mihi collatis; ſive ea fuerint communia, ſive particularia, publica vel privata. Singulariter autem gratias ago pro beneficio Creationis, Redemptionis, Vocationis ad Sanctam fidem: deniq; maximè pro eo, quod mihi indulſerit tempus pœnitentiæ, cùm potuerit me perdere in iniquitatibus meis tunc, cùm maximè ſperarem, ac imparatiſſimus eſſem: pro hoc ſit in æternum benedicta infinita Bonitas ac Miſericordia DEi.

Protectricem ultimæ hujus voluntatis meæ volo, imò ardenter peto, & humiliter invoco Pretioſiſſimam & ſemper Immaculatam V. MARIAM, refugium unicum peccatorum; quam eandem unà cum omnibus Sanctis, præſertim Patronis meis, oro: ut mihi adeſſe

velit

velit ſupremum periclitanti; meq; ſingulari præſentia ſua defendat ab hoſtibus animæ meæ, ac commendet Unigenito Filio ſuo ſpiritum meum, in pace recipiendum.

Volo item, ac cognoſco Angelum Cuſtodem, meum Patronum ac defenſorē animæ meæ in extremo judicio meo, in quo appendentur omnes actiones meæ in ſtatera, ferêturq; de me decretum vitæ vel mortis æternæ: ſupplico eidem Angelo, ut ſicut ejus cuſtodiæ commendata eſt anima mea a Creatore meo, ita eam tueri dignetur, quoad eam perducat in montem ſanctum ad claram illam ac beatam DEi viſionē.

Deniq; per viſcera JESU Chriſti, peto omes amicos meos; ut, ſiquidem neſcio quomodo cadent ſortes meæ in morte animæ meæ ſubveniant eleemoſynis, mortificacionibus, orationibus, ac præſertim Miſſæ ſacrificijs, quæ ſacrificia efficaciſſima ſunt remedia ad liberandas animas è flammis purgantibus. In reliquo proteſtor, me libenter ſuſcipere mortem, quamcunq;

cunq; mihi immiserit Dominus meus, conformando voluntatem meam Divinæ, ac patienter eam tolerando in pœnam peccatorum meorum, agendoq; simul gratias pro singulis momentis vitæ mortalis meæ. Super omnia autem rogo, ne me unquam ab hac mea voluntate recedere permittat.

Ad confirmationem hujus ultimæ voluntatis meæ, feci præsentem protestationem & confessionem in præsentia Ss Patronorum meorum tanquam testium ad hunc actum specialiter invitatorum; voloq; ut actus hic sit in æternum validus, magisq; teneat, quàm soleant testamenta, privilegia, ac donationes tenere. Quæ rursus omnia ratifico pro hora mortis meæ, ac mente sanus, composq; rationis, propria manu subscribo Frauenburgi 27 Augusti 1647. *Albertus Rudnicki Præpositus, & Canonicus Varm.*

Peto ut cum hac protestatione mea sepeliar, ponatur ea sub capite, aut supra pectus in tumba. *Albertus Rudnicki Præpositus Varmiensis. Locus sigilli.*

Non licuit diu frui Thomæ nostro

con-

conversatione hujus Servi DEi. Paulò siquidem ab adita Canoniæ possessione (quasi jam sepulturus Paulum Antonius adesset) cum dolore omnium è vivis sublatus est Vir immortalitate dignissimus. Et quidem reliquerat etiam hic Paulus Antonio vestem; eam tamē humilitas posterioris priùs induere non sustinuit, quàm alium præ se ornasset. Vacantem siquidem Capituli Varmiensis Præposituram ab obitu Rudnicij, benevola Joannis Casimiri Regis collatione in se derivatam, non admisit; sed qua erat humanitate & humilitate, in Lucam Gornicki Decanum Cathedræ, Virum ut religionis & pietatis, ita libertatis ac candoris eximij transtulit. Tandem, Gornicio quoq; è vivis erepto, honorē Præpositi cùm declinare non posset, ita gessit; ut & egregias Antecessorum dotes in se exprimeret; & omnium se infimum ac servum opere demonstraret. Tenuit porrò munus hoc cum omnium amoribus eousq; ; donec illud cum reliquis sæculi sarcinis, ac Ecclesiasticis honoribus, pullam religionis
vestē

vestem indutus, sepeliet, toti mortuus mundo. Tenuit autem Varmiensem istam Præposituram cum ea consummatæ virtutis existimatione; ut in eo vivum omnigenæ probitatis exemplar mirarentur universi. Primus ille in choro ad laudes Divinas concinendas: à quibus eum non occupationum multitudo, non hospitum gratissimorum præsentia, non amicorum observantia, posse retardare videbatur. Elucebat in eo indefessa erga bonum commune solicitudo, imperturbata difficillimis temporibus in tuendis Ecclesiæ bonis constantia, in reprehendendis erroribus ac delictis misericors justitia, affabilitas erga omnes, comitas ad omnes. Qua quidem vivendi ratione omnium in sui amorem corda rapuerat, ac talem sibi conciliaverat authoritatē: ut ad nutum ejus viverent universi, ac quæ ipse vellet, quasi oraculum esset, ratihaberent universi. Audivimus non rarò cùm jam privatos inter Religiosæ domus parietes vitam ageret, ac sermo de Ven: Capitulo Varmiensi inci-

incideret, memorem ſibi olim ab eo præſtiti affectûs, dicentem: DEus retribuat tantis meis benefactoribus, affectum eorum, quo me indignum proſecuti ſunt; quem ſicut nunquam merui, ſic explicare non poſſum. In laudibus ſingulorum planè diſertus erat; nec fuit, de quo loqueretur malè.

CAPUT XI.

Nominatur Epiſcopus Chiiovienſis, & Czernihovienſis.

SUb hæc, vacante Epiſcopatu Chiiovienſi & Czernihovienſi, ſuffragio Joannis Caſimiri Regis deſignatur Ven: Thomas ſucceſſor. Opimus quidem ille, ac multæ amplitudinis Epiſcopatus eſt, ſed ardente totius Schiſmaticæ Ukrainæ rebellione, redditus inacceſſus. Sedes Epiſcopi, & Ruſſiæ Ducum, Chiovia fuit, urbs olim, ſi annalibus ac ruderibus adhuc extantibus fides haberi debet, tam ampla, ut ſeptem dierum itinere circumiri non potuerit; tam locuples hodieq;, ut nulli ampliſſima-

rum urbium noſtratium primas cedat. Ritus ibi hodie fere Græcus eſt, iſq; Schiſmaticus, licèt olim à temporibus S. Bonifacij M. Archiepiſcopi Ruſſiæ, Latinum omnes ſequerentur. Habebat tamen ad tempora Stanislai Zaremba Epiſcopi, á quo tertius ibidem ſedere debebat Thomas noſter, non contemnendam inibi adhuc Romana Eccleſia portionem. Cathedralis Eccleſia ritus Romani numerabat Canonicos octo, inter quos cum dignitate Prælati eminebant Præpoſitus & Archidiaconus. Epiſcopatus autem ipſe diſtingvebatur in Decanatus quatuor; Pavolocenſem, Coreſtoſovienſem, Cudnovienſem, ac Liſianenſem. Pavolocenſis continebat Eccleſias tredecim. Coreſtoſovienſis octodecim, Cudnovienſis novemdecim: Liſianenſis deniq; duas ſupra viginti. His ſi addideris ea, quæ in vaſto illo Czernihoviæ Ducatu ſita, atq; in Novogrodnenſi ultra Boriſthenem Severia, per conſtitutionem anni 1638 illi ſubjecta ſunt: numeroſiſſimi gregis paſtor eſt Epiſcopus Chiiovienſis. Utitur

tur porro hic Episcopus etiam Episcopi Czernihoviensis titulo, derivato ab hoc ipso Ducatu; sed eum titulum communem habet cum Episcopo Smolenscensi. Cùm enim hic ducatus Chiioviam & Smolenseum intersecet, nec proprium habeat Antistitem: pastoralem, curam ejus loci inter se partiti sunt Chiioviensis cum Smolenscensi: atq; ita utriq; nomen adhæsit Czernihoviensis Episcopi. Et hic quidem nuper status erat Ecclesiæ, ad quam regendam assumpus erat Thomas: verùm postea Schismate Græco-Russo universa confundente, efferatis in lupos ipsis etiam ovibus, nihil de grege dominico mansit pastori super, nisi nomen inane. Ex quo enim tempore Cosatica rebellio in viscera Reip. sævire cæpit, seq; à reliquo Poloniæ corpore insolenter avulsam subdidit Schismatico Moschoviæ Duci: fides etiam orthodoxa exulare jussa est. Ejectus est primò ad annum 1648 Sede sua suprà nominatus Episcopus Stanislaus Zaremba, redacto sub potestatem rebellis perfidiæ pa-

patrimonio Christi, cum provisione Episcopi, quæ consistebat in quinq; oppidis, videlicet Chiioviæ suburbij parte, Fastovia, Czarniawka, Morask, ultra Bonisthenem & Babice. Ejectus deinde clerus omnis tam sæcularis, quàm regularis, divisis in spolia ferocientis plebeculæ exulum bonis, direptis Ecclesijs ac exustis, vasis Ecclesiasticis, supellectili, ac juribus Ecclesiarum librisq; omnibus sublatis. Chiioviæ ipsâ in metropoli Cathedralis Ecclesia dejecto tecto ac magna muri parte, redacta est in suggestum tormentorum; quod item fatum obtigit templo Patrum Prædicatorum. Ecclesia autem Societatis IESU, ac Patrum Minorum S. Francisci, quos Observantes vocant, incendio unà cum omnibus ad eas pertinentibus, absumpta est, pulsis in exilium religiosis omnibus. Ab hac tempestate nulli ad hæc usq; tempora, Episcopo datum est, adire hanc suam Sedem; non quidem præfato Zaremba; nam hic paulò ab expulsione sua in exilio diem ultimum obijt: non Leszczinio, qui al-

ter

ter, à Zaremba, fuerat designatus loci Antistes; non deniq; Ven: Thomæ nostro, qui translato ad Culmensem Cathedram Leszczynio, canonicè successerat; quantumvis hic, ut infrà videbimus, ad penetrandum vias omnes tentaverit.

CAPUT XII.

De gestis Ven: Præsulis sub tempus belli in Polonia.

INundaverant longè latèq; bella Poloniam, cùm in Episcopum nominatus fuit Ven: P. Thomas. Nam præter jam dictam Plebis Cosaticæ rebellionem, Moschus Lithvaniam, Svecus Poloniam occupârat. Egêre tunc patriæ ac fidei amantes, pro suo quisq; zelo, quod è re patriæ ac Religionis videbatur. Egit & Nominatus noster, qui quidem ante omnia, supremo hoc rerum ac fidei discrimine, adesse consilio & præsentiâ Majestati laborabat; verùm & Rex extra limites Reip. se in partes Silesiæ receperat; viæ omnes, hosti-

hostili milite plenæ, negabant progressum. Animus quidem erat perrumpendi; sed prohibebat recens Joannis Branecki Episcopi Ennensis, Suffraganei Posnaniensis, cædes: Occiderant hunc hostes milites in suomet hæreditario pago, Srodensi oppido vicino, crudelem in modum, rebus ejus omnibus direptis, dum eos innibi insigniter habet, ac humaniter excipit. Quare tantisper propè Jaroslaviam in cœnobio, S. Catharinæ vocant (ubi Frater ejus Germanus Casimirus, de quo supra, Gvardianum agebat) hærere coactus est Nominatus noster, quoad spes alicunde affulgeret, aut ad Regem tutè penetrandi, aut præsentiora arripiendi. Quæ quidem spes diu expetita, cùm non ita facilè oritura videretur; stetit animo, ad Illustrissimum Varmiensis Cathedræ Ordinarium, pro conferendis in bonum fidei & Ecclesiæ, consilijs accedere. Et cecidit res feliciter. Nam Episcopo Leszczinio Regiomonti reperto adjunctus, apud Serenissimum Electorem Brandeburgicum inibi tunc præsenté,

ſentem, effecit: ut bona Eccleſiarum Varmienſis diœceſis, utcunq; ab hæretici militis rapinis, impetratis ab Electore comminatorijs, integra perſtiterint. Recepit ibidem, non ſine inſigni Divini Numinis providentia, ſuum ex ſorore nepotem Franciſcum Zorawſki, eum qui poſtea Eccleſiæ Ven: Capituli Varmienſis cum munere Præpoſiti præerat; recepit, inquam, de manibus hoſtium vindicatum, priuſquam captum ſciret, reddente DEo gratiam ipſi, quam alteri præſtitam volebat. Res ſic accidit. Inaudierat Nominatus noſter, à milite Sveco interceptum juvenem quendam Polonum, probæ, ut apparebat, indolis, abſq; eo; quòd ſciretur cujuſnam domus ac fortunæ adoleſcens eſſet, cum lecta militum manu tranſmitti in Sveciam. Hic ille laborandum ſibi ratus, ut quiſquis eſſet, vulturum horum ungvibus eriperetur. Et egit fortiſſimè, dum ſibi præda redderetur; quam tamen citiùs non agnovit ſuam, quam liber ad liberatoris, & ipſe adhuc neſcius eundem eſſe patru-

 um

um ſuum, qui liberator fuit, pedes accideret Zorawſcius. Tunc enimverò ſui laboris præmium, & beneficentiæ fructum agnovit Epiſcopus, DEiq; Remuneratoris benedixit dexteram, ita res ordinantem; ut dum alieno ſubvenire parat: eum, quo propinquiorem ſangvine in vivis non habuit, in libertatem adſciverit.

CAPUT XIII.

De geſtis ejusdem ſub tempus belli in Pruſſia.

JUrata ſemper hæreſis in excidium Soc: IESU, hac bellica tempeſtate rata ſe perdendæ illi, è ditionibus Pruſſiæ primùm, tum totius Poloniæ finibus exturbandæ, nactam occaſionem, conſilia inierat. Et jam ſuggeſtione malevolentium eò rem deduxerat apud aulam Brandeburgicam: ut decretoria exilij contra Socios Brunsbergæ commorantes à Sereniſſimo Electore, qui urbem ſuæ poteſtatis fecerat, jamjam fulminanda crederetur. Verùm benignitas

gnitas DEi etiam hoc in discrimine rerum non defuit servis suis. Ut primùm enim res suboluit Ujeyscio, tunc Regiomonti hospiti, suarum partium esse duxit, inire rationes de modo dimovendi à sententia Electoris, confundendisquè consilijs conjuratorum contra Christum & Societatem ejus. Visum est ante omnia, rem ad Illustrissimum Loci Ordinarium, inibi degentem, deferendam esse. Apud hunc ille precibus ac persuasionibus agere; non deserendam hoc rerum articulo causam Sociorum; verti in eo rem fidei, quam graviter periclitari oportet, si moveantur viri, qui se opponere possent hæresi inundanti: scire se, quanta primo illo bello Svetico egerit & passa sit Societas ea in urbe, ob causam Religionis; quanto rem Catholicam zelo sustinuerit: tentanda omnia ut obviam eatur tam noxio fidei exterminio. Nec multò opus erat. Integerrimus Præsul Leszczynius cum pro zelo fidei ac amore Societatis in omnes modos impediendi hanc noxam animum intendisset; novissimè accomo-

dam liberandæ Societatis apud eum viam reperit, quem juratiſſimum perdendæ ejus hoſtem crediaiſſes. Calviniani gregis paſtoris erat, quem Sereniſſimi Electoris Brandeburgici conſors pro Spirituali Patre obſervabat. Hic ipſe inſigni ab Epiſcopo devinctus honorario, ita feliciter cauſam Societatis egit per prædictam Principem: ut eliſis eluſiſq; conatibus adverſariorum, ſua Patribus Brunsbergenſibus ſtatio permanſerit, ridente in ſinum Ujeyſcio, quòd tali per ipſummet adverſarium ſervos ſuos viâ liberaverit DEus, & ut fertur proverbio, laqueus auxiliatus fuerit. Ita nimirum medico interdum ipſa venena ſerviunt ad medelam, DEoq; ad finem ſunt media, quæ fini judicantur oppoſita. Verùm non diu frui hoc gaudio licuit. Vitato quippe utcunq; ſcopulo, ad quem allidenda res Patrum Brunsbergenſium timebatur, ipſe in Collegio Reſſelienſi hoſpes, cum Patribus Loci, in Scyllam incidit. Collocatis ſiquidē in tuto, ut rebatur, rebus Brunsbergenſis Societatis, Regiomonto devotio

nis

nis causâ, ad DEiparam V, Lindæ miraculis claram, iter arripuerat Nominatus noster; cùm pro more suo domum in nostram Resselij divertente illo, Collegium hæretico milite cingitur, evocatoq; Rectori abitus & exilium cum tota domo edicitur in crastinum. Fit costernatio omnium, viso hinc præ portis Annibale, ac frequentibus ijsq; in globum coactis, ne qua ullus elaberetur, aut aliquid domo efferri posset armatorum excubijs. Nullum in arena consilium, inventrix alias consiliorũ necessitas suggerebat, nullum miseris solertia rebus suppeditabat præsidium: nisi, ut ante DEUM Eucharisticum, in ara templi propositum, publica supplicatione peteretur è cælis remedium, quod in terris superesse, desperabatur. Profuit nostris ea in obsidione habere hospitem Ujeÿscium. Hic unus solari mœstos, afflictis compati, in spem meliorem erigere desolatos. Macti, ajebat, animo, dilectissimi Patres, (quæ verba illius ex historia prædicti Collegij excerpsi) si exilium vobis ferendum est, non feretis illud

illud ſoli, ſed me in Societatem calamitatis veſtræ ruentem videbitis. Spondeo candidè, eò me vobis comitem fideliſſimum adhæſurum quocunq; mare vel terra vos tulerit: ſperate interim craſtinam lucem clementiorem. Et affulſit illa profectò ſereniſſima. Nam primo manè advolans à Sereniſſima Electrice Brandeburgica curſor, Collegium ſolvit obſidione, metu noſtros, allato libertatis ac ſalutis nuncio. Præfectum autem militiæ iſta auſum ſeverè correptum vindici ſervavit juſtitiæ. Liber cum noſtris Venerabilis Præſul, non abſimilem reliquis Religioſorum cœnobijs, pluribuſquè per Pruſſiam ſæcularium ſacerdotum Eccleſijs pietatem diſpertijt per afflicta illa tempora: hos in oppreſſione ſua erigens, illos in inopia ſublevans, conſolans omnes, omnes ſecuturæ brevi malatiæ ſpe nutriens, benefaciens univerſis. Brunsbergam tamen rurſus, ut ulterioribus malis objectu ſui corporis obviaret, accurrendum illi fuit. Scrutabantur illius Collegij viſcera acatholici milites, prætextu depo-

depositorum Polonæ nobilitatis ibi sepultorum, ejecerant è templo defunctorum cadavera, terebrarant altaria, nullamq; partem domus & Ecclesiæ reliquerant inviolatam, nullam immunem: licèt aliud nihil negotiosi quæsitores repererint, nisi pudorem suum & confusionem, feralium tamen instar bubonum, præcinebant alias ex alijs miserias irrogandas, posteriores pejores prioribus. Accurrit ergo ad hos rumores Nominatus noster, electâq; sibi ad unum & alterum mensem inter nostros mansione, quas à jurata contra nomen nostrum hæresi timere poteramus, molestias feliciter avertit.

CAPUT XIV.

Consecratur Episcopus, & Carolo Ferdinando Principi Regio testanti adest.

SUbsidere nonnihil pericula, ac lætior facies affulgere visa est: cùm ad actum consecrationis sui in Episcopum, prævia recollectione Spirituali,

ſe ſe accingit Ujeyſcius. Volvebatur annus poſt milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimus ſeptimus, quando eandem, Dominicâ à Pentecoſte ſeptimâ, quæ in octavam Julij inciderat, ſuſcepit Seeburgi, in oppido Pruſſiæ Varmienſis, conſecratore Venceslao de Leſzno Leſzczynſki, Varmienſi Epiſcopo, aſſiſtentibus Alberto Pilkoowicz Hipponenſi Epiſcopo, Suffraganeo Varmienſi, & Mathia Mariano à Kurſko Kurſki Baſovienſi ſeu Valachiæ, de Ordine S. Franciſci Regularis Obſervantiæ, Epiſcopo. Porrò Loci Ordinarius hoc perfunctus labore, quaſi per tanti viri conſecrationem jam in auge ſuorum rectè factorum conſtitiſſet, & quod hic ageret amplius, haberet nihil; non ita multò poſt (ubi prius per omnes Eccleſias publicari feciſſet, ut ſi aliquibus ſub tempus gubernationis ſuæ irrogata fuiſſet injuria, eam detegerent, ac ſatisfactionem acciperent) Varmiâ exceſſit Gneznam, promotus ad Sedem Archiepiſcopalem, regniq; primatialem. Qua rurſus occaſione, adminiſtratio tota Epiſco-

piſcopatûs ad adventum uſq; Succeſſoris incubuit humeris noſtri Neo-Epiſcopi: quam tanta cum commendatione, ac populi voluptate ac affectu peregit, ut nemo ullam querendi anſam habuerit, prædicarent omnes. Et quidni prædicarent? cùm in Præpoſito ſuo vitam ad Eccleſiaſticam formam, & ad omnem Epiſcopalis dignitatis amuſſim compoſitam, cùm omnia ejus ſtudia utilitatem virtutemq; ſpirantia: cùm eum ſibi præeſſe viderent, qui malis ſingulorum æque ac ſuis tangebatur; bonis ſingulorum alienis lætabatur ac proprijs. Procul ab eo luxus, & impenſæ ad emendam ſui exiſtimationem de ſubjectorum ſangvine eliquari ſolitæ: nullas extorſiones, nullas novitates etiam in cogitationem admiſit, qui de ſuis obventionibus cuiq; indigenti ſubveniebat. Familiam equidem ſtatui Epiſcopali ac Senatorio competentem alere debuit: ſed eam ipſam non pompa ſæculari, verùm neceſſitate metiebatur; & ita diſciplinæ aſſveſecerat, ut nulli quidquam moleſtiæ inferre auderent.

Paulò

Paulò antequam in Episcopum consecratus fuisset, ad Carolum Ferdinandum Poloniæ Sveciæq; Principem regium, Plocensis ac Uratislaviensis Episcopatuum Administratorem, periculosè ægrotantem vocatus, accurrit: qui quia eum non minùs, ac fratres ejus Vladislaus IV. & Joannes Casimirus Reges, diligebat; ultimæ quoq; voluntatis suæ testem habere voluit, multis ex judicio & directione illius in celebri illo suo, Ecclesiarum ac pauperum bono condito, testamento dispositis. Quæ res (quantumvis Regiam domum ex asse reliquerit hæredem unà cum devoluto ad eam pleno jure ad Opoliensem ac Ratiboriensem in Silesia ducatus) non modicum sinistri affectus ei apud Serenissimam Poloniæ Reginam conciliavit eò, quòd Austriacæ Domui nimium favorabile videretur testamentum, in quo partem magnam habuisse putabatur Ujeyscius. Unde cùm Ven: Præsulem nostrum non rarò Rex Joannes Casimirus altiore in Rep. subsellio ac pingviore Episcopa-

tu

tu munerari vellet, impedivit illa semper, adjecto etiam subinde acroamate: *sanctus iste Episcopus etiam cum suo baculo* (alludebat ad Episcopatum Chijoviensem seu Kijoviensem) *ad cælum perveniet.*

CAPUT XV.
Labores Ven: Episcopi.

QUàm verum sit illud S. Augustini, relati in cap. *Qui Episcopatum* 8. q. 1. Episcopi nomen, esse nomen oneris, non honoris: probavit Ven: Præsul noster. Ut primùm enim Episcopatus humeris ejus incubuit: nullam requiem à laboribus Apostolicis habere voluit. Ausim dicere, paucos reperiri, qui cum eo magnitudine, assiduitate, tolerantia laborum certare possint. Pontificalia omnia summâ obibat voluntate, Ecclesias & altaria mira consecrabat promptitudine; Sacramenta præsertim Confirmationis & Ordinis administrabat, ea sæpe defatigatione; ut in opere defecturus crederetur. Obi-

bat autem omnia, nullâ deterritus tempestate, nulla viarum difficultate, aut molestijs retardatus. Monuerat eum quispiam; ut sibi in laboribus temperaret: cui ille; an nescis verum esse illud (Origenis hom.7 in ps.) eum, qui ad Episcopatum vocatus est, non ad principatum vocatum esse, sed ad servitutem totius Ecclesiæ? Quod videtur locutus conformiter ad illud: 1. Cor. 9. Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut omnes facerem salvos. Monuerat alter, qui ei à sacris confessionibus erat; parcendum attrito corpori, à gravi ægritudine vix paululum respiranti, cùm sese Sacramento Confirmationis, copiosæ multitudini impertiendo accingeret: sed & ille consimile tulit responsum; nosse se obligationem suam, vires sperare à DEo: sed & si mori contingeret, utiq; se velle impendi & superimpendi saluti populi; deniq; decere Episcopum, non stantem, & otiosum, sed laborantem & in opere mori. Noverat nimirum illud. Greg. lib. 6. ep. 5 ad Cyriacum.

Qui

Qui propriam utilitatem communi utilitati, præfert non poteſt dicere: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Conformari volebat Apoſtolo de ſe teſtanti: 1. Cor. 10. *Non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* Aſſumptus fuerat ex Luceorienſi Eccleſia, ad Varmienſes Infulas (translato ad Archiepiſcopatum Leſzczynio) Ioannes Stephanus Wydzga, Vir ab inſigni facundia, prudentia ac conſilijs orbi notus; ille, qui poſtea Poloniarum Regni Primas, Gneznenſis Archiepiſcopus obiit: hujus rogatu, cùm plenam Epiſcopalium exercendorum Præſul noſter ſuſcepiſſet curam; ita impiger omnia peragebat, tamq; fidelem DEo, gregiq; fideli promptam exhibebat operam: ut nemo quid in & à Pontifice Apoſtolico amplius deſiderare potuerit. Quoties per anni tempora Ordinationum feriæ recurrebant; confluebat ad eum non ſolùm Clerus frequentior, ſed è diverſis Religioſorum Ordinibus copioſus ordinandorum numerus: quos omnes per totum tempus ordinum ſuis

 ſuſ-

ſuſtentabat impendijs, domô propriâ excipiebat, ac largiter donatos ad ſua dimittebat. Quin & è diverſis Diæceſibus confertim ad eum accurrebatur cum dimiſſorialibus. Teſtantur plures ex eorum numero adhuc ſuperſtites, tam copioſos ſecum ordinatos fuiſſe; ut cùm à collatis ordinibus prandio Epiſcopali exciperentur, quantumvis plures menſæ poſitæ fuiſſent accumbentibus, vix locus inveniri potuerit. Ipſi adeò vicini Antiſtites ultrò plenariam ei per ſcriptum poteſtatem Pontificalium exercendorū ſuis in Diæceſibus, ſi quando iter haberet, aut aliter, ferret res, lubentes, volentes conceſsêre. Certè Illuſtriſſimus Epiſcopus Wydzga, in cujus Diæceſi ut plurimùm verſabatur, identidem gloriari auditus eſt; quòd ut Valerio Auguſtinus, ita ſibi Thomas obtigerit Adjutor Epiſcopalis officij; qui licet par ſibi eſſet non Epiſcopali modò, ſed & Senatoria Regni Poloniæ dignitate, promptiſſimum tamen ſe ad onera Vicarium offerebat. Ob quod non alio eum, quàm viri Sancti, ac ſuis levan-

vandis oneribus à DEo concessi, nomine compellabat; aut (si fortem phrasim mutare videretur necessarium) benefactoris, Patroni, Patris vocabulo, quà publicis in sermonibus, quà privatis in literis honorabat. Iam verò quod attinet præcipuum munus Episcopi (ita vocatur à Conc. Trident. sess. 5. de reform. cap. 2. munus prædicandi verbi DEI) ad hoc, cum omni diligentia exequendum, excitabat se illo Apostoli 2. Tim 4. *Testificor coram DEo, & IESU Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum, & regnum ipsius: prædica verbum, insta opportunè, importunè, &c. ministerium tuum imple.* Sic excitatus cum ingenti animarum lucro dicebat ad populum. Et quidni dicendo lucrum faceret, qui non verbo solùm, sed & exemplo prædicabat; cujus pulchro sermone vita erat pulchrior? Nimirum nulla dicentium oratio perinde animos flectit, ut vita & mores; prodestq; magis vita sine sermone, quàm sermo sine vita. Singulari tamen gustu ad rudes & contemptibi-

lia mundi dicebat, ſequens in hoc Redemptorem, cujus ſermocinatio fuit cum ſimplicibus. His ille docendis totum ſe effundebat, his altas in cælo ſedes pollicebatur, hos ad ſublimem virtutem excitabat. Deniq; ita à labore prædicationis ſalutem ſibi promittebat, ut propriæ vitæ merita conjungeret. Quare diſpoſitis ſibi in corde aſcenſionibus ad ſumma non honorum, ſed virtutum, ad ſublimiorem ſemper gradum perfectionis contendebat, poſito ſibi pro regula illo, quod habet S. Greg. lib. 2. paſtoral. c 1. *Tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Paſtoris.*

CAPUT XVI.

Amor in Clerum.

EPiſcopum ſe in Cleri medio, velut Patrem in medio filiorum, ad providendum amanter eorum neceſſitatibus datum; aut velut Angelum Superioris Hierarchiæ ad illuminandos inferiores ratus Ven: Præſul noſter, pri-

mas in eo muneris sui partes posuit; ut amorem omnibus reipsâ contestaretur, & non solis eum verbis venditaret. Non premebat clericum necessitas, cui non in sinu ejus haberetur remedium; non afflictio, quam pia non abstergeret Episcopi benignitas. Ipse pro omnibus orator, ipse in omnibus, ubi de eorum ac Ecclesiarum ijs commissarum bono res erat, consiliarius, & Patronus; zelator ipse, ubi minimum de clero tangi, nedum lædi sentiebat. Causarum arbiter, aut judex lectus eorum, qui de sorte Domini essent, ita temperabat controversias; ut & victus de tali gauderet judicio, & victor talem sibi satisfactionem gratularetur. Si quando tamen rem minus decoram statui Ecclesiastico accepisset; homo alioquin mitissimus, ita tangebat ulcus; ut non foveret sed sanaret. Novit nimirum & in disciplinæ rigore benignitatem mansvetudinis, & in benignitate mansvetudinis districtionem servare disciplinæ, exemplo Evangelici Samaritani, ægris vinum austeritatis, & oleum leni-

lenitatis infundendo corporibus; unde factum est, ut omnium eum timeret amor, timor amaret omnium. Eos nihilominus nunquam ferre poterat, quorum habitus histrionem potius, quã Sacerdotem; nitor exterior sponsam potiùs procedentem de thalamo, quàm sponsæ custodem; liberior agendi ratio mundo potiùs, quàm Deo dovotum referebat. Cæterùm eorum cumprimis delectabatur conversatione, qui vel probitate vitæ eminerent, vel zelo ferverent Apostolico; in hos cum affectu suo totum sese effundebat, hos dulcibus colloqvijs ad meliora incendebat, artem artium, illos habere præ manibus dictitans cum M. Gregorio; id est, animarum curam. Singularem autem eorum curã habebat, qui noviter sacris initiati essent; hos enim tum suo, tum aliorum integræ vitæ Presbyterorum ad scribebat lateri, solitus dicere; Episcoporum, taliumq; Presbyterorum contubernia debere esse scholas juvenum Clericorum, in quibus instruerentur, erudirentur, formarentur ad omnem pietatem

tatem, ne ſegni otio, nec turpi deſidia tranſigerentur bonæ horæ. Jam verò ſi de beneficijs in Clerum collatis agendum eſt, ei ſolùm hæc non præſtitit, cujus eum non advertebat neceſſitas. Ex accedentibus ſolicitè prior quærebat; an ſuo in aliquibus indigerent obſequio? & ubi tenuioris fortunæ quospiam ſuſpicabatur, impensè orabat, edicerent, qua re laborent? Pauperi Clerico præ cæteris omnibus eſſe ſubveniendum cenſebat; quòd & Chriſti magis domeſticus eſſet, & turpis eum magis dedeceret egeſtas; nihil ſe negaturum, quod ſe dare, pauperem clericum accipere, expediret. Negotiorum cauſâ venientes ad locum ubi morabatur, Clericos, ſi id pateretur occupationum congeries aut jejunij ſui obſervantia, omnes voluit eſſe commenſales ſuos; idq; non rarò quoad negotia omnia ad calcem perducerent, propoſito ſibi illo Apoſtoli: *Epiſcopum oportet eſſe hoſpitalem.* Et illo Gregorij ep. ad Ioan. Epiſc. *Hoſpitalitatem neſciens non fiat Epiſcopus.* Et hæc fere

circa tenuioris notæ Clericos agebat Episcopus noster. Ne tamen & ij, quibus pingvior panis Christi obtigit, de se nihil meritum dicere possent; omni ope connitebatur reperire modos benefaciendi omnibus. Postremus non erat iste; quòd diversos vernaculâ lingvâ ingenti numero coëmptos libros, sive de novo editos aut recusos, in illos dispertierit, ad munus eorum cum majore DEi gloria implendum accomodatos, aut ad promovendos eorum curæ commissos, apprimè utiles.

CAPUT XVII.

Fundationes variæ, ac beneficia in Ecclesias.

HÆc bene merendi de omnibus voluntas in Episcopo nostro, hactenus fere privata, transiens, ac quasi hominis dici potuit: quia licèt ad plures promanârit, fere tamen particularibus personis exhibita est: adeòq; cum eorum transitu facilè oblivioni danda, & unà cum ijs in pulvere dormitura erat,

quoad justus retributor justitias judicaturus reddet unicuiq; secundùm opera sua. Iam verò ea de quo impræsentiarum agimus, publica, stabilis, ac prope divina dici meretur; siquidem exhibita est communitatibus, quæ non moriuntur, & quarum bonum, bonum divinius est. Benefica manus nostri Præsulis ita in privatos liberalis extitit, ut in communitates non minus munificum se exhiberet. Et hinc ortum habuêre grandia illa dona & data, quæ diversis Religiosorum Ordinum domibus, vel de novo à se erectis, vel notabiliter auctis, larga manu contulit: item illæ in Ecclesijs fundationes perpetuæ ad ampliandam DEi gloriam ac animarum salutem ejus opibus erectæ. Pauca ex pluribus hic commemoro, ac imprimis ea quæ Societas IESU grata recognovit, indictis à morte ejus per orbem universum tot sacrificijs (præter ordinaria pro defuncto è Societate dici solita) quot vigore Constitutionum pro Fundatore Collegij alicujus dici debent, cum addito: & hunc Societati de-

diſſe, quantum ſufficit ad fundationem Collegij. Fratribus S. Joannis DEI, quos per Poloniam Bonfratellos vocant, de radice novũ, aſſignatis redditibus, conformiter ad inſtitutum eorum unà cum noſodochio erexit Cænobium Varſaviæ: fundavit itẽ Xenodochium Obrazoviæ. Szczepankoviæ in Mazovia, perpetuam recitando per populum congregatum divæ Virginis Roſario, fundationem inſtituit. Frauenburgi in Pruſſia Varmienſi Conciones de Paſſione Domini per quadrageſimam, poſt quarũ ſingulas proceſſio longo ordine (quod antehac his in partibus, hæreſi undiq; ſeptis vix auditum erat) per Eccleſias ducenda eſt, cantandaq; à Muſicis Paſſio Dominica, collatis perpetuo redditibus fundavit. In Cathedra item Varmienſi anniverſarium pro anima ſua inſtituit. Sendomiriæ Seminarium pro octo juvenibus ad probitatem vitæ ac doctrinam inſtituendis, aſſignatis in hunc finẽ florenorũ 30. millibus Conſimile item erexit pro juventute Pultoviæ, ut taceam longè plurimas diverſarum

religionum domus in fundationibus copiosè auctas, nosocomia perpetuis censibus stabilita, Ecclesias novis beneficijs locupletatas, & id genus longè plurima. Verùm omnia hæc parva videri possunt, comparata ad ea, quæ quotidianus quasi Fundator, vel Restaurator, expendebat in Ecclesias per Poloniam, post bella laceratas; has calicibus ac apparamentis Ecclesiasticis, illas campanis alioq; decore domus Dei instruendo. Plena sunt ejusmodi beneficiorum illius templa Poloniæ, ostentantia DEo sumptuosum apparatum (ut olim Petro, Act. 9. egenæ viduæ vestes, quas fecerat ipsis Dorcas) quo Christi cumulatè sponsas decoravit eximius amator decoris Domûs DEi.

CAPUT XVIII.

Reipublicæ bono studet.

QUantum salus & integritas Reip. sacerrimo Episcoporum Ordini in nobilissimo hoc Poloniarum Regno debeat, patet vel inde: quòd muneris eorum

orum ſit, non ſolùm curare altaria, & animas; ſed ſimul Senatorem Regni agere in curia, adeòq; velut utroq; humero remp: ſuſtentare. Ipſorum igitur cura & labor eſt: ut inprimis fidei ſacroſanctæ conſervatio & augmentum, ac Eccleſiæ Catholicæ decor in omnibus emineat; deinde communi bono proſpicere: ſciſſas reip: partes integrando, dubia enodando, pericula avertendo, & rē patriam in melius promovendo ſemper. Unde non abs re tot Sauli Samueles, Davidi Nathanes, Joramo Elizæos, Ezechiæ Iſaias additos dixeris; quot Reipublicæ ac Poloniarum Regibus in commune conſulentes aſſidere audieris Epiſcopos. Horum è numero non poſtremus fuit Epiſcopus, ac Senator noſter. Nam & ille ita Patriæ bono ſtuduit; ut primam fidei cauſam ſemper ageret, dicere ſolitus; Patriam integram eſſe non poſſe, ſi fides ſit lacera: ita viciſſim fidei egit negotia, ut è corde nunquam boni publici curam dimitteret. Quia vero de ijs, quæ pro bono Eccleſiarum egit, nonnihil jam

atti-

attigimus, attingemusq. infrà plura: hic quæ pro bono patriæ egit, pauca dicenda ſunt. Ac imprimis hoc in eo ſuſpexit orbis Polonus: quod per tempus Epiſcopatûs ſui nulla unquam comitia regni omiſiſſe notatus fuerit, quantumvis poſt effuſos in pauperes theſauros, domeſtica menſæ ſupellex aliquoties oppignoranda fuerit, ut ad Senatoriæ ac Epiſcopalis dignitatis decorem inibi agere poſſet. Inſtabant identidem amici; parcendum, exemplo plurium pingvioris fortunæ Præſulum ac Senatorum, ſumptibus in frequentatione ejuſmodi publicorum conventuum profundendis; ſed actum egêre apud virum boni publici amantem, ſuamq; conſcientiam allegantem, quâ obſtringeretur Reip. ac Eccleſiæ providere, ne quid alterutra detrimenti acciperet. Ob eandem cauſam Mariæburgenſia, Graudentina, Plocenſia aliaq; privata terrarum Comitiola frequentabat, zelator fidei ac boni communis ita probus, ut integriorem juſtitia, juſtiorem integritas deſiderare non poſſet. In his terra-

terrarum conventibus particularibus Reges ipsi negotia grandioris molis uni huic pertractanda imponebant; qualiter Ioannes Casimirus tum aliàs, tum præsertim anno 1663, & Michaël Rex anno 1670 res statûs maximi ponderis ei, de cujus virtute ac dexteritate cerenti erant, suo agendas nomine commendatas voluerunt. Quin & ipsi Summi Pontifices res Ecclesiæ ac Fidei, ut infra videbimus, in generalibus regni comitijs vel ab ipso immediatè, vel de ipsius consilio à Legato à Latere promovendas judicârunt. Sunt in manibus meis literæ, quibus Sedes Apostolica ab eo informari desiderat: an expediat Ecclesiæ, ac regni Poloniarum bono, abdicatio coronæ, quam tunc meditabatur Joannes Casimirus Rex Poloniæ. Sunt aliæ, quibus oratur, ut vigilem oculum habeat, ne quâ aper de sylva in vineam DEi, seu Princeps hæreticus, in hoc Ecclesiæ semper dilectum regnum, dominaturus irrepat. Sunt & aliæ plures: de quibus, ut dixi, inferius commodior erit agendi

di locus. Porrò in his conventibus animos omnium facilè ſibi conciliabat; quòd affectus privatos, qui etiam juſtos dementare ſolent, freno timoris DEi ita cohiberet; ut ne aliquando à recti & æqui tramite deflecteret: quòd ſententiam ſuam ea proponeret methodo, ut cauſam ſolius veritatis agere crederetur; quòd ita partibus faveret, ut quoties vel leges publicæ in diſcrimen venirent, vel vis privatis fieret, vel jura patrimonij Reipublicæ convellerentur, acriorem eo monitorem, cenſorem ac correctorem nemo deſideraret. Munerum corruptelas ut peſtem fugiebat; ratus, nunquam ſanam eſſe poſſe juſtitiam & fidem in eo, cujus manibus hoc virus adhæſerit. Fuit; cùm potentioris cujuſpiam nomine, non contemnendi pretij munus ei offerretur cum precibus; ut partes principalis ſui tueretur; quas quidem, quia parum æquas judicavit, ne reſpectans quidem ad fabam corruptricem, uno hoc offerentem abſolvit. *Quanti, putaret, pretij ſit anima, ac æternitas?* Al-

terum cùm in simili obstinatior esset; ac ratus, modicum ab Episcopo judicari sibi oblatum, aurum auro adderet; his omninò acerbius dictis repulit. Iret cum suo auro ad eos, apud quos Justitia lances servat ad mercimonia iniquitatis; se nec pro toto mundo contra æquitatem pronunciaturum sententiam; causam afferret æquam, spondere se gratuitum fore patronum; sin afferret iniquam, judice se, certò causâ casurum. Hæreticus quidam nobilis instinctu magni cujuspiam Senatoris, aut probare volentis, an & iste Episcopus argentangina laboret; aut, quod verò similius est, intendentis ludere hominem à fide alienum; cum magna auri massa adierat Episcopum nostrum, obsecraturus succurri sibi in eo, in quo uno salus sua verteretur. Audijt hic orantem tacitus, donec præjudiciosi Ecclesiastico juri privilegij pro se obtinendi mentionem faceret, ac in causa excessuum quorundam contra personas Ecclesiasticas commissorum, vellet agere defensorem. Tunc enim verò ferventi

adeò

adeò zelo incendi Epiſcopus, ac contra corruptorem invehi; ut homo acatholicus non ferens verba & vultum ejus, cum ſuo ſe in pedes mammona conjecerit, ne reſpiciens quidem retro, aut ampliùs de ſuo ſomnians privilegio. Non erat nimirum Epiſcopus noſter è grege eorum, qui, ut canis offa, muneribus capiuntur, venalemq; juſtitiam novi ejus proditores habent. Virtus apud eum ante nummos, lucrumq; quodlibet in comparatione virtutis vilius algâ fuit. Porrò zelus hic Epiſcopi, ac munerum contemptus, ſicut non ſine inſigni Senatoris illius, qui fabulam texuerat, ædificatione fuit: ita magnam omnium, qui de eo inaudierunt, exiſtimationem meruit. Omnium unicum hoc judicium fuit: ut ſi tam munda à corruptelis foret janua omnium Iudicum, Senatorum ac Præſulum; non habiturum Angelum percutientē, quod in Polonia caſtigaret. Certè hæc integritas tantam Præſuli noſtro conciliavit commendationem; ut Reges & Principes intricatiſſimis cum negotijs ar-

bitrum constituerint; omnesq; passim resarciendo juri suo litium diribitorem ac judicem optârint, qui se læsos scirent; fugerint autem ij, qui de causæ suæ integritate malè sentirent. Deniq; ut caput hoc concludam, in omnibus præ oculis habuit DEum & Justitiam, fidem ac Reip. commoda, legis ac Regis Majestatem. Quod ipsum luculenter de eo testatus est Michaël Rex in ijs literis, in quibus eum designavit Commissarium in tractatu Pacis cum rebellibus Ukrainæ, inchoando 29. Maij anno 1670, regni sui anno primo.

CAPUT XIX.

Ad Confœderatôs in Polonia milites fit Commißarius.

NOndum plenè à malis, quæ eam invenerunt, quieverat Polonia; cùm insperatus turbo, isq; domi natus, totam eversurus concussit. Tantò autem hic gravior fuit, quantò graviùs est vulnus à domestico. Fecerat in hac patria miles externus, ut factæ in derisum

risum & subsannationem gentium, illud Isai. 1. ei recantaretur. *Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili:* fecit domesticus; ut nisi DEus exercituum misertus fuisset populi sui, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorrha similis esset. Dilata fuerant stipendia exercitui, quod attrita ab hostibus Resp. ijs sine mora numerandis non esset; cum petulantior miles moræ impatiens, in confœderationē patriæ exitialē abiit, electoq; sibi Duce Samuele Swiderscio, ac repudiatis veteribꝰ tribunis, novis ausibus, novo substituto Magistratu, in viscera Reip, heri juratus in patriæ commoda, hodie in dispendia ac ultimam ejus ruinam, extorsurus omnia, quæ sibi deberi prætendebat, irruit. Suprema tunc sibi fata impendentia vereri poterat Polonia, cum robur totum suum (supra triginta milla copiæ confœderatorum excreverant) in excidium sui conversum, ac conjuratum videbat; tantoq; id magis vereri poterat, quando ad pri-

 orem

orem nexum, qui Poloniam laniabat, totus Litvanorum exercitus electo pariter copiarum Duce Casimiro Chwalibog Zyromski per interpositionem horribilis hæc fœdera firmantis juramenti, accessit. Misera cumprimis tunc erat terræ nostræ facies, agros & prata agrestium insolentior depascebatur miles, victum non modo imperando, sed effractis penuarijs per summam violentiam auferendo, ac quod secum asportare non poterat, profundendo, dissipando, destruendo. Domos civium juratus in tulelam eorum, perjurus irruebat exercitus, ut eas expilaret, & perderet omnia, quæ ab hesterno hoste utcunq; salva remanserant. Singulariter tamen Ecclesiarum & Ecclesiasticorum bona petebantur; horum census ac reditus librabantur, & ad ingluviem transscribebantur. Ecce, ajebant (quod olim impius ille Chilperitus Rex Galliarum apud Baronium ad annum 587) *Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus nisi soli Episcopi regnāt; peri-*

perijt honor noster, & translatus est ad Ecclesias & Episcopos. Ecce Sacerdotes, Monachi, & Iesvitæ maximam Poloniæ partem occupârunt, desidesq; delicijs diffluunt, tantumq; non mutuârunt illud à proditore: *Ut quid perditio hæc?* poterant enim ista dari militibus. Occupato ergo per vim palatio Kielcensi, ad Episcopum Cracoviensem pertinente, constitutaq; inibi sede consilij & militarium circulorum, ac residentia Ducis sui Swiderscij, in omnem latè partem emitebantur, qui tributa ab Ecclesijs ac bonis nobilium inferrent, forti addita in contra nitentes executione. Sed nec regalis mensæ possessiones melius habuerunt. Oeconomiis enim, salisfodinis, telonijs, portorijs ac quocunq; nomine publicis vectigalibus manus injecerunt expilantes ac vendicantes sibi omnia. Et egit quidem Rex Ioannes Casimirus multa, ut insolentes ad ordinem & frugem reduceret factis etiam largis per delegatos suos promissionibus; sed apud effusam licentiam nihil profecit aliud, quàm quod effe-

ratior factus miles, sua sibi stipendia, sua hyberna & promerita, quæ tamen nunquam tanta fuerant, quantum violenti expilatores jam corraserant, reddi postularet, regijsq; legatis ac Regi confusionem relinqueret. Adhibetur tandem Episcopus noster, uná cum Floriano Duce Czartoryski, Episcopo tunc Cujaviensi, in auxilium; quorum primi nota consummataq; apud licentiosos prudentia & integritas, alterius innata rectitudo, ac circumspecta in loquendo gravitas, id effecit; ut non modicè sibi in excessibus temperârint nec patrimonio Christi tantam intulerint, ut antè, ruinam, quoad plenè solutis stipendijs ignis tam pestilens extingveretur.

CAPUT XX.

Beneficentia in pauperes.

HAbet hoc vita Sanctorum; quòd licèt pluribus fulgeat virtutibus, una tamen earum præ alijs velut lilium inter-

inter flores in singulis emineat. Alii enim zelo, aut contemplatione, justitiâ alij aut pœnitentiâ, alij patientiâ & mortificatione, humilitate alij ac sui abnegatione, veluti nota speciali ab alijs distingvuntur. Porro qui ejusmodi notam in Episcopo nostro desiderat, facilè primas dabit misericordiæ. Licet enim in aliarum quoq; virtutum exercitio eximius fuerit, hæc tamen ita ei in morem transijt, ut ab ea nomen *Patris pauperum & Eleemosynarij* obtinuerit. Collactanea ei misericordia in egenos, ut supra innui, ita ei à primis annis in amoribus fuit, ut viso paupere verbis & lacrymis stipem pro eo mendicaret, pia Matre ejus gaudente, quòd ministrum ac dispensatorem sibi Providentia Divina in filiolo suo elegerit. Cum adultiore pietas hæc incrementa sumpsit; rarò quippe domo pedem efferebat, quin quod dispergeret & daret pauperibus secum defferret. Ut verò sacris initiatus est, ita se ministrum mysteriorum DEI existimabat; ut simul minister esse

deberet Christi pascendi in esurienti-bus: ita corpus & sangvinem Domini dispensabat in altari, ut proventus sibi provenientes de altari (quos Bernardus vocat sangvinem Christi & sanctorum, sicut opes, quas quis paravit laboribus suis, vocantur sangvis ejus) dispertiret cum minimis Domini. Episcopus factus majorem se obligationem subveniendi necessitatem patientibus suscepisse ratus, totum se eorum bono, profusis in sinum eorum, quæ sibi obveniebant, impendit. Ob quod cùm fortè eum monendum, qui ei à Confessionibus erat judicaret; eò quod vereretur speciem prodigalitatis, aut formidaret inopiam post tantam profusionem, his ei respondit Episcopus: Sperabam à Vrã Rñâ stimulandum me ad hanc virtutem, & ecce me vult impedire. Mi Pater, Deus non mentitur; ipse dixit: date & dabitur. Non velit me esse de eorum numero, de quibus quidam S. Pater dicit (Hiero: ep. ad Eustoch. de custod. Virginib.) quòd multi non possint dicere

cum

cum S. Petro: *Argentum & aurum non habeo, sed potiùs contrarium loqvuntur opere, licet sermone taceant. Fidem & misericordiam non habeo, quod autem habeo, argentum & aurum, hoc tibi non do.* Quocumq; se vertebat Episcopus, nobilis minimorum Christi comitatus anteambulo ibat, ac pedissequus; templa ad quæ eum divertere, viæ quas legere, ædes quibus hospitari solebat, toto pauperũ obsidebantur exercitu, suũ sibi dimensũ à Patre, suũ stipẽdiũ à Duce expectãte. Ecclesia certe Cathedralis Frauenburgi, ad quã ut plurimũ residere solebat tam copiosa egentium turba cingebatur: ut difficilis in eam transitus pateret, succenserentq; nonnulli Eleemosynario; quod suis tam molestam turbã largitionibus eo loci attraxerit. Erogabat porrò ille longo ordine dispositis, nemine præterito, suismet manibus tam largiter, ut universi stuperent; unde ei tanta vel in solos mendicos profundenda suppeterent? Ego sanè qui hæc scribo, dum hac super re agerem cum

 inti-

intimo ejus Perillustri D. Stanislao Bużenski, Canonico ac Decano Varmiensi, & ipso in pauperes non illiberali, hæc relatu ejus accepi. Se capere nunquam potuisse, unde viro obvenerint, quæ in dies in solos mendicos profundebat; notitiam se habuisse ac habere perceptorum ejus, testem esse expensarum, judicareq; plura dedisse solis mendicabulis, quàm perceperit. Et verò hanc rem mirabantur non raro ipsimet domestici, conscij eum heri ad extremum nummum effudisse omnia; hodie autem rursus videntes plena manu largientem; cùm tamen certi essent, nullam ei interim alicunde pecuniam allatam fuisse. Fuit, cùm erogatis omnibus, in mendicabulum morbis ac fame propè enectum incideret; cujus misericordiâ motus, cùm quod daret, non haberet, suspirans in cælum, ad penum pauperum, vacuam suam appellavit crumenam; in qua præter opinionem, nummo reperto aureo, pauperem muneratur hoc unum inquiens: *Hæc tibi tuus Angelus Custos donat, ora e-*

um

um etiam pro me. Aliàs cùm eandem recreandis inopum miseriis ad pauculos nummos redegisset, novaq; egenorum turba incumberet; hos quoq; in illos dividi jussit; cùmq; hac super re querularetur aula, sibi à Domino etiam cum frugali cœnula non provisum iri: admonitos diffidentiæ, fidere jubet DEo, qui se nunquam dereliquerit, nec suos panem mendicare permiserit. Respondit statim non fundatæ in pecunia spei Deus. Vix enim gressus aliquot promoverat, cùm nunquam speratus adest è bonis Oeconomus, annuis collectum è reditibus censum septem millium circiter florenorum Dominos ante pedes effundens, obstupescente super eventum aula, Domino cum Theologo suo magnificantibus DEi Providentiam. Curia ejus Episcopalis jure pauperum diversorium erat; in hac supplices eorum libellos gratiosè accipiebat, causas audiebat, necessitatibus paternè providebat; in hac mensam illis ponebat, In qua aut unà cum illis accumberet, aut accumbentibus minister

ſter fieret. Et quamvis non rarò, ut hoc hominum genus parum decori amans eſt, aliqua contingebant, quæ politum ac honeſtatis omnis amantem animum lædere poſſent; nunquam tamen indignationem ullam verbo aut nutu præſetulit, benè ſciens, quòd charitas ſit, quæ omnia ſuſtinet. Id hic non eſt omittendum: quòd cùm fames è partibus Litvaniæ vagum per orbem egiſſet agreſtem populum, ut latranti ſtomacho alicubi terrarum remedium inveniret; Præſul noſter publicam in area palatij ſui menſam inſtruxerit, in qua ingenti multitudini per longũ tempus alimenta præbuit, quoad adulta æſtas meſſem ijs in Inſulis Pruſſiæ, ad quas quot annis eorum multitudo confluit, aperuit. Quo quidem opere Charitatis & mala impedivit, quæ impuritatis & cadentia famis imperare ſolet (lupus enim eſuriens, ut fertur in proverbio, non curat æquitatem, rationes ac excuſationes agni: nec aſinus famelicus fuſtem) & populum, ne ad partes hæreticas, in quibus pro pane fidem venderet,

deret, dilaberetur, cõtinuit, duplici apud Deũ merito misericordiæ: corporalis quidem per exhibitionem necessarij alimenti: Spiritualis autem per impeditionem eorum, per quæ anima fide destituenda in æternum famere debuisset. Cæterùm quod in curiam ejus tam facilem aditum habuerint mendici, nemo miretur. Scivit enim plenus misericordià Præsul, quod habet S. Greg. ep. 21 lib. 11. *Pondera hæc, ait, ô Pastor, quod non largiaris tua, sed aliena. Quid ergo mirum, quod tota die lustrent domum Episcopi pauperes, cùm sit ea domus dispensatoris rerum ipsorum? possent enim vociferari ad valvas, imò usq; ad secretum cubiculum dicentes: Da nobis nostra, alioquin contra te vociferabimur ad Dominũ rerum tuæ dispensationi commissarum, dicentes: Domine non vult nobis dare, quæ illi, ut nobis daret, dedisti.* Hæc S. Gregorius. Et hæc de ijs, quæ domi residens, benè circa pauperes Christi operabatur. Jam verò cum aliquô esset iter adornaturus, ante omnia prospiciebat; ne quod obvijs erogaretur, deesset;

ac

ac primò quidem trifariam divisit distribuenda, relicto penes se uno: penes eum qui sibi à confessionibus erat altero; tertio penes Oeconomum marsupio, ut ita trium una elargitione veneraretur Trinitatem in Unitate. Tum currus vestibus, tela, & id genus tegendo homini necessaria supellectili onerabat, non levandos, nisi pauper cui crederetur onus, occurreret: qui quidem si per viam occurreret, prior inopem salutabat Episcopus, ac si qua re indigeret, solicitè sciscitabatur, req; intellecta, summa cum charitate illi subveniebat, eorum etiam erogatione, quæ proprij status decori essent necessaria. Usuvenit aliquoties, ut cùm quod largiretur, deesset; Episcopalem de collo crucem auream mendicò traderet, redimendam à se, si hic commodè ad se eam deferre posset; vel venum exponendam alteri, si id fieri nequiret. Non omittam hic, quæ oculatus testis Clarissimus ac R. D. Laurentius Lemki, Secretarius Ven: Capituli Varmiensis de eo annotatum reliquit. Iter cum

eo

eo adhuc puero instituerat Episcop9 noster Varsaviam versùs, rigente bruma, ac concretis glacie fluminibus; cùm mendicabulum quodpiam nudipes ac frigore tremulum pro impetranda stipe adrepit. Respicere hic Episcopus Thesaurarium; sed hic cum reliqua aula aliquantum præcesserat, nemine ad latus præter prædictum puerum relicto. Quàre nescius, quid opis inopi impertiret, dum circum se lustrat, quæ erogaret, calceos mendicabulo deesse advertit. Calceis ergo seipsum exuit Episcopus, hominemq; induit plenus pietatis affectu: stupente, ubi acri hac tempestate pedes nudum Christi causâ, Dominum suum vidit, aulâ non nudam in eo suspiciens charitatem, qui ita intelligeret super egenum & pauperem; ut se necessariis ad amictum, ad operiendum in minimo Christi DEum spoliârit. Credo ego speciosos pedes, sic propter Dominum excalceati, fuisse in oculis Angelorum, præparataq; à DEo tam benefici Præsulis nuditati, si nudus est, quem vestit charitas, indumenta glo-

riæ. Liberali hoc agendi modo tantum apud inopem obtinuerat amoris, ut pæne ad confidentiam cum eo devenisse judicaretur. Unde si vel ipsi inopes consilio aut auxilio opus haberent, vel alium aliquem opis indigum putarent, intrepidè accedebant, postulantes absq; verborum ambagibus ea, quæ è re sua esse opinarentur. Patuit hic affectus vel maximè tunc, cùm facto vale dignitati Ecclesiasticæ, Religioni Societatis sé se addixisset. Tunc enim totâ effusi provinciâ pauperes, suum sibi ereptum Patrem querebantur; non habituros unquam tam pium suæ necessitatis Patronū, tam beneficum præsulem. Perijsse se, hoc sublato; invidos Jesvitas, qui sibi eum eripuissent: una omnium lamentatio, una de Episcopo surrepto, vox querula fuit.

CAPUT XXI.

Munificentia erga mendicare erubescentes.

PArum se beneficum credere poterat Episcopus noster si ijs solum qui in quo-

quovis trivio obviant, dexteram porrexisset. Bis æger est, cujus ulcera pudor celat; bis & misericors est, qui opem fert ei cujus indigentiam verecundia tegit. Da mihi aliquem, qui à latronibus expoliatus, in via Iordanem versus relinquatur: si transiens Sacerdos & Levita sint immisericordes, Samaritanum expectare potest, qui vino & oleo misericordiæ infuso curam ejus habeat. Da alterum, qui sub splendida veste, fame perit in Jerusalem; hujus plaga insanabilis est. Hominem facile habere potest, qui cuiquè obvio Miserere canit; quem ad incitas redegit fortuna & domui suæ affixit ad aquas tribulationis pudor mendicandi, velut paralyticum lecto ad piscinam Probaticam; Angelum expectet, necesse est, à quo auxilium habeat. Et præsto fuit non uni tali Angelus auxiliaris Episcopus noster. Ut primum enim suspicabatur alicubi jacere talem indigum, motus misericordiâ, ipse aquas subibat Probaticæ, injectâq; aureâ massâ sanitatē reddebat minimè speratam. Promptior

ad largiendum quàm essent miseri ad petendum. Ocultos ejusmodi necessarios solicite inquirebat, vel maxime ope Sacerdotum Religiosorum; quibus impensè commendaverat, ut si quos comperissent, quibus curta res domi esset, & opis suæ indiga, se aut ipsi admonerent aut domesticos hosce Codros ad se ablegarent. Quæ res mirum, quot è cœno vitiorum desperata extraxerit prostibula, quòt ne virtus inquinaretur pericula impediverit, quot pro dato suis angustijs auxiliatore æmulo Nicolai Myrrhensis, Episcopo Deum benedixerint præservatæ ab impuritate Virgines; quot deniq;, quæ malus sator fames seminare consvevit in herba, extincta sint mala. Supersunt hodieq;, pluribus talibus jam viam universæ carnis ingressis sacræ diversis in cænobijs DEO sacræ Virgines quibus ut vitam Domino consecrarent, ejusmodi charitate de dote provisum est, supersunt in statu conjugali, quibus dum defectus dotalium honestas vetuisset nuptias, beneficentià Præsulis subventum est:

eſt: ſuperſunt ipſa adeò de plebe opifices, quibus, ut honeſtæ alicui tribui nomina dare poſſent, bonitate ſtetit Ujeyſcij. Nolo hic privatos rimari Lares, ut in ijs impreſſas hujusmodi beneficentiæ notas legam. Unum tantùm alterumve hujus beneficentiæ ſpecimen, quia grata eorundem, quibus præſtita ſunt beneficia, narratione, decantata ſunt, inſinuo. Primum eſt, quod Viduæ cuidam Gedani mercatrici præſtitit. Hæc mercium naufragio ad incitas redacta, dum fortunam ſuam, heri plane pingvem, hodie convulſam, in craſtinum autem extremam penuriam reſpectaret, planè impos ſui facta erat: accedebat ad cumulum miſeriarum, quòd perpetuam ſuo nomini ab hac ruina infamiam, ac Catholicæ integritati, ab hæreſi, hoc in orbe inquilina, ſannas prævideret. Quæ quidem rationes tantum ponderis apud impotem conſilij habuerunt, ut nihil aliud reliqvum judicârit, præterquàm quòd furens deſperatis in rebus animus reliquiſſet. Invenit nihilominus & huic

malo remedium bonitas Episcopi nostri. Vix quippe miser viduæ casus ad aures ejus allatus erat, cùm primus ejus rumor adeò misericordiæ commovit viscera, ut de spongia pro abstergendis afflictæ lacrymis cogitârit, moxq; duo millia Imperialium levandæ afflictioni illius numerari fecerit; pretium non vile, si necessitatem accipientis & dantis charitatem attendas. Alterum est, quòd equiti Polono, Valentino Chądzinski, præstitit. Hic pro sublevandis bonis suis aliquot millia florenorum mutuò ab eo acceperat: dum autem termino juxta juridicas tabulas tacto, nomen exolveret; advertit creditor natantes in lacrymis debitoris oculos, compertâq; viri extremâ inopiâ: *Non est*, ait, *quòd de reddendo debito soliciteris; tene quod habes; video enim te magis indigum, quàm sim ipse*; simulq; ei testem obligationis syngrapham unà cum omni, quam attulerat, pecunia reddit, malens fœnerari Domino in misericordia pauperis, quàm, quod suum erat, tollere. Referenda hic forent

non

non pauca de induſtriis ejus, quibus tam res privatorum, quàm publicas, de quibus jam conclamatum erat, ex arcto eduxit: ſed quia quotidiana ſunt, morandum in ijs non videtur. Singulari ejus induſtriæ adſcripſit Epiſcopus Wydzga evacuationem præſidij Electoralis ex urbe Brunsbergenſi jam jam procumbente; utpote quæ datis in ſingulos menſes tribus millibus florenorum, longè grandiorem ſummam habebat pendendam ſub militari executione. Recurrit mœſtiſſima civitas ad notum ſolatiorum fontem. Nec ſpe ſua fraudata eſt. Optimus enim Præſul ita rem apud Sereniſſimum Joannem Caſimirum Regem egit; ut is efficaciter apud Electorem inſtiterit de evacuanda civitate præſidio ſuo. Sic Brunsbergenſibus ſua redijt libertas, Ujeyſciano Nomini æternùm obligatis.

CAPUT XXII.

Liberalitas in Juventutem ſtudioſam.

PRoba juventutis educatio non abs

re miſericordia dici poteſt. Si enim miſeretur, qui corpus, quod habet homo commune cum beſtijs, paſcit, quantò magis, qui alit animum, quem habet homo ſibi proprium? Non eſt miſerior, quàm is, qui cùm hominis vivat vitam, nihil habet humanitatis: non eſt magis miſericors, quàm qui hominē degeneraturum in beſtiam reddit homini. Sanè ſi hic liberalior dicendus eſt, qui dat pretioſiora; qui homini dat id, quod omni pretio ſuperius eſt, ſit liberaliſſimus. Novit hoc Epiſcopus noſter, ideoq; teneram ætatem, quæ velut cera mollis facilè in ſe figuras recipit omnes, bonis artibus formari curabat in hominem, contulitq; liberaliter ea, quæ neceſſaria ſunt ad diſcendam humanitatem hominis. Per diverſa Poloniæ Gymnaſia plures alebat parvulos lacte literario, qui olim in Patriæ heroas ac viros virtutis adoleſcerent. Plena talibus Brunsberga, Varſavia, Sendomiria, Cracovia, Pultovia, Poſnania, Reſſelium, qui de Ujeyſcianis impendijs cum pietate ſapientiam, velut lac

de

de ubere piæ Matris, ſuxerunt: plenæ urbes aliæ, in quibus ejuſmodi parvulis cum manſvetiori literatura inſtillabatur virtus gratum datura odorem Patriæ, quem recens teſta bibiſſet. Sed nec patriæ tantùm herbas, verùm & Eccleſiæ ac fidei defendendæ viros idoneos hoc lacte aluit; quibus, quia collactaneus fuit, timor & amor Domini in annis teneris; poſiti in Eccleſiaſticis dignitatibus viri demonſtrârunt, quantum ab hoc fonte pueri olim hauſerint boni. Singulariter tamen fontẽ hunc aperuit ijs, qui de hæretica Matre, quaſi ab utero infelici projecti eſſent. Horum enim longè plurimos à matribus avulſos, proprijs impendijs alendos, ſuſcepit felici conatu; quia cum ſana doctrina ſaniorem eis mentem infudit, fecitq; ex ijs filios Abrahæ, quos ſi lupa hæreſis lactâſſet, facti fuiſſent filij perditionis. Bene multam partem è ſola ſuæ domûs conſangvinitate hoc illicio inſtructionis in literis, à matribus acatholicis abſtraxit; quos ita literis excoli fecit: ut fidem

unà discerent, tunc verè ejus consangvinei, cùm Ecclesiæ incorporati unà cum illo participarent de eodem Sangvine Domini. Verùm non sedit inter cognatas solùm domos benevolentia Præsulis; pluribus longè, quos tenuis res domi alienâ quadrâ cogebat vivere, ac mendicato præ foribus civium panis dimenso Musas suas alere, largè providebat, amanter suscipiebat, ac ad accipienda, quæ opus haberent, invitabat. Et quidem hanc erga juventutem scholasticam misericordiam, Ujeyscium quasi per traducem à prædecessoribus suis accepisse diceres; si ea, quæ Frauenburgi in Varmia egit, attenderis. Recens quippe, dum ibidem Præposituram Cathedralem occupavit, erat memoria Alberti Rudnicki, profusæ, ut supra diximus, liberalitatis Viro in juventutem literariam: calentia erant Mathiæ Montani Canonici liberalissimæ charitatis vestigia, qui præter plures in pauperes scholasticos, largitiones, suomet ære insignes è solido muro scholas Brunsbergæ erexerat.

Joan-

Joannis item Rudſki, Valentini Kobierzycki, & aliorum, qui intelligentes ſuper egenum & pauperem, pauperum ſcholarium neceſſitatibus largiter providerunt, beneficentia vigebat in benedictione. Fuit nihilominus aliquid præ cæteris magis eximium in pietate Ujeyſciana; ſiquidem ea, quæ dabat, dulci quadam benevolentia condiebat, tantòq; pueris illis gratiora faciebat, quantò plus de ſuavitate affectùs addebat. Aurum tuum nolo, dicebat quidam, ſed animum: hic mihi omni auro pretioſior eſt. Per ſcholaſticas ferias hebdomadatim ad eum tenuior confluebat pubes, petitura, quæ in ſcholaſticam œconomiam, ac annonæ ſubſidium habebat neceſſaria: quam ille tam dulci ſuſcipiebat affectu; ut Patrem in eo ſe habere jactarent univerſi. Vocabat ſingulos nominatim, excipiebatq; calamo indigentias ſingulorum: tum bono iuſſos eſſe animo in ſubjectum remittebat cubiculum, poſità in eum finem menſâ reficiendos; à qua ubi ſurrexiſſent, quiſq; præparatum

tum, quod petierat, necessitati suæ subsidium, tollebat. Fuit aliquando, ut calidiore febri decumbente Episcopo, juvenes illi pro more suo, denso agmine præ foribus curiæ Episcopalis, expectationi, ut ajebant, paternæ salutationis vacarent, nec ullus esset, qui eos respectaret, promicondo periculum vitæ Domini prætendente, ac oculis egenorum se se subducente. Solus inter febrile incendium Episcopus memor egestatis, accitum ad se aulæ Mareschalchum, an scholastica juventus more solito exciperetur, rogat. Cùmq; is adesse quidem juventutem responderet; sibi tamen habendam potius esse solicitudinem de valetudine Domini, quam de indigentijs puerorũ, quibus in aliud tempus subveniri posset. Contracta igitur fronte hominẽ acriùs coarguit, mandans; ageret ad amussim imperata, suam ægritudinem vel minimùm non incommodare operibus charitatis; statutum sibi esse, quoad viveret, hoc opus misericordiæ nunquam intermittere. Supersunt hodieq; multi

multi in diverso statu ac ordine, benedicentes Dominum: quòd tam pium sibi in juventute Patrem providerit; hujus se charitate vestitos, donatos, ac in scholasticis necessitatibus sublevatos fuisse. Quod si factum non fuisset, degeneraturas fuisse plantas suas, seq; nullius frugi futuros fuisse, utpote quibus deficiente cultura literaria, necessariò sylvescendum fuisset. Ujeyscio se debere primam in studiis instructionem, cum instructione doctam mentē, cum docta mente, si quæ sibi insit virtus; deniq; statum ipsum, in quo DEus lineam prædestinationis suæ fixit. Et certè Ujeyscio nostro in compluribus provinciis debent Ordines Religiosi non pauci; quod doctis juxta ac probis eius alumnis repleti sint; debet status Ecclesiasticus, quòd viris ad gloriam Dei promovendam aptis provisus sit: debet status sæcularis, quòd homines sago togaq; insignes acceperit. Non adduco hic ephebea, seu seminaria, quæ priusquam Societatem ingrederetur, ut haberet, de quibus etiam

mun-

mundo mortuus, bene mereretur, inſtituit, cùm de his jam ſupra egerim. Id unum innuo, quòd totius Poloniæ, juventus nobiliſſima illi non modicum debeat; ſiquidem author fuit: ut Varſaviæ, ubi flos Polonæ nobilitatis adoleſcit, pro ea inſtituenda aperirentur Scholæ á Patribus Societatis; in quem etiam finem ædes in palæſtram literariam convertendas coëmit, tantò ampliore beneficio, quantò plus fructùs in ijs legitur.

CAPUT XXIII.

Attinguntur aliqua de vita P. Andreæ Domajewicz, olim Alumni Ven: Epiſcopi noſtri.

INter cæteros, quos liberalitas Epiſcopi noſtri in ſtudio literario gloriæ divinæ educavit, erat P. Andreas Domajewicz; is ipſe, quem poſtea relicto Epiſcopatu, per tempus tyrocinij ſui Miniſtrum domus Probationis habuit Ujeyſcius; quiq; ſicut viventis obſervator ſedulus, ſic á morte apud eum;

um, qui justitias judicat, pro Mæcenate suo exorator fuit solicitus. Nam quoad vixit, annuatim non suis tantùm, sed aliorum etiam multiplicatis precibus ac sacrificijs, tum alias, tum præcipuè per Octavas S. Thomæ Apost: pro eo libabat Sacrificium propitiatorium Domino. Tradiderat P. Andream Episcopus noster, sub tempus inundationis Sveticæ in Poloniam, instituendum bonis artibus ad Seminarium Olomucense in Silesia; quibus, dum non modica sui commendatione operam navat: placuit divinæ Majestati eum à tumultibus sæculi vocare ad vitam in JEsu Societate operosè quietam. Colludebat die quopiam antecineralis tridui intra debitos modestiæ limites suis convictoribus Andreas (quadragenarium excesserant numerum, omnes nobilitate, ingenio, cæterisq; dotibus florentissimi) colludebat, inquàm, in præsentia Regentis sui P. Sierakowski, viri multæ sanctitatis; cùm subito divinum aliquid passus Pater, uberrimis exundare lacrymis, ac tantis abripi singultibus;
ut

ut fas ei non fuerit, quantumvis maximè vellet, dolorosissimi componere motus animi. Mutavit tam insolens scena mœrentis Patris sui hilaria juvenum, præsertim ubi causam lachrymarum fletu dignissimam intellexerunt; scilicet è tanto numero non nisi septemdecim vitam in æternitate victuros beatam. Præ cæteris Andreas, quasi fulmine ictus totus tam amaris diffluebat lachrymis: ut necesse fuerit Patri consolatoris suscipere munus, qui paulo ante contristator fuerat; opusq; fuerit, monere juvenem parceret fletibus, potiusq; Deo ageret gratias, quòd ipse unus è salvandis septemdecim foret. Sedit nihilominus ea res tam altè animo juvenis; ut exnunc mundo vale facto Societatem Iesu, in qua certam sibi salutis artem sperans promittebat se ingressurum voverit. Et ingressus statim fuisset in partibus Bohemiæ (nam & ob egregias dotes, post varia pericula, á Provinciali terræ jam relatus fuerat in numerum admittendorum) nisi divina bonitas laboribus patriæ hominem servare,

ac

ac immori decrevisset. Reversus in Patriam, atq; in Societatem perlibenter receptus à Præposito Provinciali Litvaniæ, omne in eo studium posuit: ut omnes probi religiosi partes impleret; humilia libenter amplecti, judicium & voluntatem suam frangere, aptareq; judicio & voluntati Superioris, leges ad amussim observare, in ijsq; se se exercere, quæ veteranam virtutem maximè decerent. Missus fuerat Pultoviă (ubi tyrocinium Moscho adhuc Vilnă tenente continuabat) cum Connovitio quodam peregrinatum, quem irritatum per labores viæ, ac ex incurabili & inveterato ulcere recrudescens vulnus tam dirè affligere cæpit, ut citra spē prosequendi itineris medio in campo eundem prostraverit. Sublatus in currum coloni cujuspiam æger, mirum in modum torquebatur; cùmq; incumbente jam nocte nullum mali remedium occurreret, metueretq; inde surrecturum omni vulnere malum crudelius, sui scilicet è tyrocinio manumissionem, quòd in examine plagam occultasset,

ac ob eam causam inconsolabiliter lugeret: Andreas compassionis ac fiduciæ plenus, juvenem inducit ad speranda divinitùs auxilia; esse non ita procul Iconem miraculis claram B. Stanislai Kostka, Novitij pariter Societatis, terræ hujus olim incolæ, nunc Patroni, quæ in Sacello Kaczyciensi Collegij Pultoviensis pia fidelium veneratione colitur. Huic, ut se, emisso voto, commendet, suadere, relaturum & ipsum opem, quàm plurimi àb ejus patrocinio reportârunt. Nec mora, concipitur plenum fiduciæ cælestis votum, & B. Stanislaus in patrocinia difficilis casûs vocatur. Interim Andreas chartaceam Beati iconem, quam secum venerationis ergo deferebat, in defectu omnis alterius cataplasmatis, afflicti Socij vulneri alligat. Et fuit hæc ob conjunctionem insignis in cælites fiduciæ, tàtæ efficaciæ; ut intra unius noctis spatium inveteratum malum, relictâ in tam rari beneficij memoriam cicatrice, perfectè sanatum fuerit. Progressu dein ætatis in solida proficiens

ciens virtute Andreas, magis ac magis absolutum religiosæ perfectionis gradum judicabatur conscendisse; ad quem quidem continua circa se & actiones suas vigilantia illum promovit. Nam in horas prope singulas semet ad trutinam revocabat, ac qua parte melior factus fuisset, dispiciebat. Custodes innocentiæ suæ continuam voluit esse mortificationem & humilitatem; illá quidem se sibi, hac autem se alijs, etiam infimis, subjiciendo. Orationi ita addictus erat, ut vita ejus religiosa jugis oratio videretur. Erga pauperes tam ampla ferebatur charitate, ut nullā sibi elabi occasionē aut diē pateretur, qua stipe aliqua illis nō subveniret. Et quidem cùm privatam viveret vitam, ac alieno penderet ab arbitrio, varias excogitabat industrias, quibus egentium bono prodesse posset. Pro ijs jam per urbem mendicabulum factus; jam apud Superiores hanc ejus virtutem ac pietatem æstimantes, intercessor; jam aliis modis eorum succurrens necessitatibus. Rector autem Collegiis

 impo-

impositus, charitatis amplissimæ in pauperes, vivum exemplar fuit. Tunc quippe primitias de omnibus per manus egenorum DEo litabat; & quæcunq; sive ex prædiis, sive ex piorum beneficentia domui obveniebant, omnium participes faciebat pauperes Christi; memoriâ tenens; eum fœnerari Domino, qui miseretur pauperis: qualiter defacto non fuerunt steriles ejus eleemosynæ. Nam sicut propter Joseph quondam DEus benedixit domui Pharaonis; ita non absq; prodigio rerum omnium augmentum dedit domicilijs bonitas Divina, in quibus degebat, vel præerat, miserator pauperum, Andreas. Luculentum hujus rei testimonium dat Collegium Lomzense, quod ille magna cum laude prope novennio gubernavit; exigua ea in domo res erat, priusquam regendam susciperet, in tantum; ut Superiores sæpè de Collegij illius suspensione deliberârint. Subinde quippe domus ejus moderatores in eas redigebantur angustias, ut in præsentes necessitates ab extraneis paucu-

pauculos asses mutuos accipere cogerentur: taliq; frequentatione mutui non modica debita contraxerint. Ubi tamen P. Andreas regendam suscepit domum hanc, ac statis primò, tum singulis hebdomadæ diebus certam nosodochio eleemosynam transmittere cæpisset, mandatumq; Janitori imposuisset; ut nullum è mendicis vacuum à foribus dimitteret: benedictio DEi adeò copiosa descendit super domum; ut fateri debuerit Rector: nunquam sibi quidquam defuisse: imò ad prosequendam templi fabricam, quæ per sexaginta propè annorum spatium ob domesticam egestatem solis in fundamentis deserta, ac cæli injuriis exposita jacuerat: manum insuper applicuerit, ac in non contemnendam altitudinem usquequaq; provexerit. Obiit vir, omnium opinione Sanctus, Nesvisij in domo tertiæ Probationis, cui tunc cum potestate Rectoris præerat, anno reparatæ salutis 1694 die 14. Septembris; cum annos vitæ numeraret sexaginta, religionis sex supra triginta,

ab emissa quatuor votorũ Professione, decimo octavo, cũ ingenti ipsorũ etiam heterodoxorum luctu, dicentium in eo virum sanctum orbi ereptum; ac præcipuè domesticorum, qui sibi patrem; ac pauperum, qui sibi tam beneficum patronum ereptum doluêre. Circumferuntur aliqua de illo habentia speciem prodigij, quæ, non est hujus loci, referre.

CAPUT XXIV.

Penetrare ad Cathedram suam laborat Ven: Episcopus.

MUlta sunt nec levia, quæ pro bono fidei egit Episcopus noster: sed omnia ejus judicio talia fuerunt, qualia illius, qui (ut dicitur Lege, Præses Cod. de servit. & aqua) agris suis sitientibus, alienos irrigat. Oves ille suas sub pertinaci rebellione pereuntes respiciebat; pastorem se esse non mercenarium, patrem non extraneum, sponsum non peregrinum considerabat. Quatiebat cor ejus, animarum bono natum

natum, illud Tridentini sess. 23. de reform. cap. 1. quo dicitur: mandatum esse præcepto Divino omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere: si cognoscere, & pascere; si pascere & præsentem esse. Gubernatorem se esse navis Christianæ intelligebat: ab ea proinde divelli non debere; hortulanum horti fidei, ideoq; obligari ad procurandam ejus culturam; custodem vineæ Magni illius Patrisfamilias, qui ab ea elongari non debeat. Et hæc quidem promptitudo fuit Pastoris ad pascendas per se ipsum oves suas; verum alius ovium affectus erga pastorem. Efferatæ in rabiem lupinam, nullum se cognoscere jactabant pastorem, præterquam quem sibi resciffum ab universali Pastore Schisma Græco-Russum offerebat, lupum non Pastorem. Longus sim, si ad calculum revoco, quæ passi sunt apud eos, qui quoquo modo respectare videbantur Catholicam fidem. Ne sexui quidem, nec infirmæ ætati venia data: crimen erat conjugem aut prolem fuisse ejus,

qui Romam ſequeretur in fide; quodq; horribilius eſt, una vox rebellium erat: malle ſe Mahometem ſequi, quàm cum Orthodoxa Polonia Papam & Epiſcopum Romano-Catholicum: una omnium actio, funditus exſcindere Romanam fidem. Nec verò in vivos ſolum ſævitum eſt; mortuis etiam quies data non eſt. Nam, quod nec in ſumma auditum eſt barbarie, Illuſtrium heroum, hoc ſolo, quod Catholici fuiſſent, effoſſi cineres, ac furfuribus inſperſi porcis in pabulum projecti ſunt. Tentàvit quidem Epiſcopus plura, ut ad mentem redirent; ſed apud rebellem populum nihil effecit aliud, quàm quod efficere ſolent apud deſperatos ac reprobos filios ſalutaria proborum parentum tentamina. Submiſit ijs viros verbo & pietate inſignes, ex ordine Divi Baſilij, animo reducendæ terræ ſuæ ad unionem cum fide; ſed odioſum nomen Unionis, exeſſe non minus hos, quàm quoſvis alios, qui de mutatione religionis quidpiam meditarētur, juſſit, idq; vi novellæ legis, quā

ſibi

ſibi nova hæc rebellium Reſp. omnino primam ſcripſerat; ac ſi rurſus ad conjunctionem cum Polonia deveniendum eſſet, illibatam ſemper ac ſanctam eſſe voluit: quam etiam Reip. Polonæ commiſſarijs Alberto Miaſkovio Leopolienſi Succamerario, Gregorio Kiſielio Novogrodenſi Vexilifero, ac Jacobo Zilinio Braclavienſi Pocillatori à Rege & Rep. roborandam, ſi pacem vellent, anno 1694 obtulerant primam, his omnino verbis: Nomen, memoria, & veſtigium Unionis, quâ latè patet Ruſſia, non eſto. Submiſit & Patres Societatis JESU, in modum Miſſionariorum Spirituales operarios, præſertim Martinum Tyrawſki, Martinum Radzicki, ac Staniſlaum Jeleccium, alioſq; magni animi ac ſingularis zeli viros: ſed hi omnes tam in rudi illo populo, quàm in Gallis & Germanis militibus, Magno Moſchoviæ Duci juratis, in præſidio Chijovienſi, fere tantùm eouſq; fructum faciebant; quoad prodi cæpiſſent. Tunc enim ad mille mortes quærebantur, neceſſeq; habuerunt, ſe tan-

tisper, dum furor defervesceret, subducere. Et quamvis Pater Jeleccius Primoribus terræ, ob jura consangvinitatis pergratus fuerit; hostis tamen erat, cùm vel nudum Unionis verbum proferret; sæpe ob hoc probè pulsatus, sæpe in exilium actus, sæpe ad necem quæsitus. Submisit rursus aliquot è Clero sæculari, videlicet Illustrem Dominum Georgium Stanislaum Węgierski, Præpositum Chijoviensem, ac Admodum R. D. Karowicz Parochum Pawolocensem: sed hi diutius inibi agere non poterant, nisi, quoad Exercitus Polonus, cui se junxerant, in terris illis consisteret. Submisit deniq; familiares alios, quà Spirituales, quà seculares nobiles; at eorum alij vulneribus affecti, regredi coacti sunt: alij in miserandam captivitatem divenditi, unus autem crudeliter interemptus; prout de his omnibus Episcopus noster sanctè asseverat in data ad Sedem Apostolicam informatoria, de statu Episcopatùs sui, ad mandatum S. Congregationis Concilij Tridentini transmissa. Reliqvum

liqvum nihil erat, niſi ut ipſe princeps vineæ cultor ſe itineri in vineam ſuam accingeret; ſeu ut Epiſcopus ipſe ad oves ſuas, ſi tamen ſuæ dici debent, quæ in lupos verſæ ſunt, accederet. Et avebat ille quidem toto ſe hanc ſpartam: ſed inſuperabiles difficultates, quin viam arriperet, obſtabant. Provocabat ad ſimiles pro gloria DEi auſus recenter fuſus ſangvis glorioſi Martyris B. Jozaphat Kuncewicz, Archiepiſcopi Polocenſis, in cauſa fidei ab eadem gente Schiſmatica cæſi: ſed mixta rebus Religionis ratio ſtatûs, continuaq; amicorum retrahentium ab occaſione tali, quæ nihil emolumenti fidei eſſet allatura, ſed rebelles fuſo ſemel Epiſcopi ſangvine magis irritatura, abſtrahebat. Ardebat zelum fidei ſuæ, ac propagandæ gloriæ Divinæ demonſtrare: ſed unà verebatur, fomitem addere incenſis contra Patriam perduellibus, & eſſe cauſa retardans compoſitionem, quæ à rebellibus ſperari poterat. Vicit tandem zelus fidei, & ardor multa pro DEo patiendi.

di. Quare confestim parari jubet omnia, quæ in tam longam expeditionem necessaria essent, currus, equos, annonam, eroganda in pauperes &c. Motus fit domi ingens, accingentium se tanto, propè ad ducenta milliaria Germanica, ac tam periculoso itineri, alijs quidem paratis cum Episcopo etiam in mortem ire, alijs autem, quibus tantum non erat animi, non audentibus tanti discriminis plenam tentare aleam. Advolant interea undiq; magnatum ab his ausibus dehortatoriæ; accurrunt è diversis partibus amici aliam instillaturi mentem; coacervantur rationes à cæptis avocatoriæ; nec tamen quidquam proficitur apud Episcopum, apud quem sederat, si mille vitas haberet, mille pro gloria DEi profundere. Theologus ejus & conscientiæ arbiter (is erat P. Michaël Mazowecki è Societate JESU, Vir omni literatura, ac pietate instructissimus, Theologicà ac Juris laureà illustris, qui postea summum in Provincia Litvanæ Societatis imperium obtinuit, ac bis

Romã

Romani à Provincia sua legatus abijt) suo ipsius motu, an suasu aliorum, urgentes è jure Canonico ac Theologia rationes concipit, quibus probat, his in circumstantijs nec umbram esse obligationis adeundi Episcopatùs, posseq; Episcopum citra ullum piaculi metum à cæptis desistere. Verùm & ipse actum egit, reponente ad allegata Episcopo, expedire plura agere, quàm ad quæ obligamur; abjecti esse animi, ijs solùm intendere, quæ facere teneris; mereri DEum, ut illa etiam pro eo faciamus, ad quæ non obligat. Illuxerat interim propè jam dies destinata motui ad Cathedram suam; cùm ecce adferuntur literæ hinc à Metropolita Unitorum Chijoviensi Cypriano Zochowski, quibus ei significat omnem ad rebelles perrumpendi præclusum aditum, neminemq; sive ex Clero Romano-Catholico, sive Romanæ Ecclesiæ unito in ditiones rebellium, quibuscunq; id tentet vijs, admitti ampliùs; inde à Nuncio per Poloniam Apostolico dehortatoriæ, ac tantùm non inhibi-

inhibitoriæ, ne hoc iniquo rerum ſta-tu vitam objiciat amentium furoribus; ſed eam bono patriæ ac Eccleſiæ ad ulteriora ſervet tempora. Quare parere coactus eſt tum neceſſitati, tum deſiderijs Legati, dolens tamen inprimis; ſubtrahi ſibi occaſionem præſentiſſimam conteſtandi hac in parte zelum ſuum, & conſecrandi ſangvinem DEo & Eccleſiæ. Reor tamen, quòd, qui bonæ voluntatis retributor eſt, & ſæpè pro facto velle bonum præmiatur; & hanc in Epiſcopo noſtro promptitudinem ratam habuerit, gratumq; è bona voluntate ejus ſacrificium odoratus fuerit.

CAPUT XXV.

Suffraganeatum fundat, ac pro Unione Græca fortiter agit.

IMpeditus ab aditu Cathedræ ſuæ Epiſcopus noſter, hoc turbido rerum articulo non ſtatim curas poſuit, ſed reſpectans ſi fortè ſpes pacis affulgeret, agebat ea, quæ ſibi adita poſſeſſione

forent

forent adjumento. Ante omnia providendum sibi ratus de viro, qui cùm labores Episcopales divideret. Romæ supplicat, adhibita etiam Joannis Casimiri Regis interpositione: ut sibi adlegere liceret Suffraganeum, hactenus quidem illic terrarum non visum, cui tamen ipse Fundator Episcopus non modicos assignaret reditus. Collaudavit Alexander VII piam mentem: & quamvis, ut ipse Pontifex in Brevi dato ad Episcopum nostrum (cui subscripsit. F. Florent.) testatur, non ita facilis sit sedes Apostolica ad recipiendas ejusmodi novellas fundationes, nisi sub certis ijsq; gravissimis conditionibus ac sponsionibus: se tamen absq; ulteriore dilatione & indagine admittere à tam pia manu profectam fundationem, hac civilium bellorum tempestate, ea spe fretum, quòd si deforet aliquid ad honestatē Suffraganei sustentandam, Fundatoris benignitate supplendum fore: nec dubitare, quin spectata pietas & zelus ejus insignis, omnes ad DEI gloriam & afflictæ Ecclesiæ illius tam

spiri-

ſpirituales, quam temporales rationes pro virili collaturus ſit accuratè ſtudioſeq;. Quare nihil moratus Pontifex, ſacra ſub titulo Epiſcopi Feſſenſis, futuro Suffraganeo, quem ad inſtantiam dicti Ioannis Caſimiri Regis, & Ioannis Gembicki Epiſcopi Plocenſis præſentaverat Epiſcopus noſter, contulit, Stanislao Gianotti Præpoſito ad S Joannem Gnesnenſi, Regulari Canonico, ad annum 1660. Verùm quia & huic omnis occluſa fuit accedendi via, Suffraganeatus in primo hoc Epiſcopo cum morte ejus extinctus eſt. Affulgebat equidem aliquando tenuis ſpes ſecuturæ reconciliationis perduellium cum Rege Poloniarum, ideoq; perfidia puncta pacis proponebat; ſed quæ ob præjudicia Regni ac Eccleſiæ admitti non poterant. Et rejecta quidem jam fuerat zelo Epiſcoporum Poloniæ, nunquam ſat laudando, incorporatio in Senatum Regium Metropolitæ Chijovienſis Schiſmatici, ſummè præjudicioſa bono fidei, quam Princeps ſpoponderat, & Senatus ſæcularis ratam voluerat: cùm alia

ex

ex alijs Græca fide (vel ut dolo ſimulatæ compoſitionis res firmarent ſuas, vel ut luderent nimium perfidiæ credulos) comminiſcuntur rebelles firmandæ ſe inter ac Remp. paci; jamq; rem eò deduxerant: ut illuſtres quidam viri Ordinis Senatorij, ijdemq; Regiæ Majeſtatis ac Reip. Commiſsarij, ad pacē interRemp. ac militiam Zaporovianam, reliquamq; Ruſſiæ gentem ſanciendam, & ſtabiliendam anno 1658 menſe Septembri condixerint in puncta quædam Generali conſenſu Ordinum ac totius Reip. ratihabitione, lege, ac juramento firmanda, prout re ipſa anno inſequente majore ex parte acceptata & approbata fuerunt. Volebant perfidi, Sanctiſſimam Ritus Græci Epiſcoporum, ac populi, cum Rom: Eccleſia unionem aboleri, & quotquot eſſent ritus Græci Epiſcopi uniti, exautorari, officijs, honoribus, Eccleſijs, juriſdictione, omni animarum cura, poſſeſſione bonorum, & uſu omni privari, Clerum ſæcularem ac Regularem proſcribi, omnes publico devotionis exercitio in-

terdici, novarumq; erectionum, fundationum dotationum proviſionumq; decerni incapaces, relictis Orthodoxæ ſuæ (ſic vocabant Schiſma ſuũ) ac liberæ ab omni novitate, & peregrinis ac humanis inventis Eccleſiæ juribus omnibus ſeditioſæ factionis (ſic unitos vocabant) ac poſſeſſionibus eorundem. Et quidem hæc ſe jam tenere putabant eo tempore, quo Reſp. bellis annorum undecim defeſſa opreſſaq; à tot diverſiſſimarum nationum exercitibus, Coſaticis, Tartaricis, Moſchoviticis, Sveticis, Brandeburgicis, Vngaricis, exhauſta inſuper civicis infeſtationibus, cujuſvis rei diſpendio, pacem mercatura credebatur. Catholicorum etiam animi metu rerum futurarum in deſperationem acti in quævis præjudicia conſenſuri putabantur. Oppoſuerunt ſe equidem plures publicis in Comitiis Epiſcopi: ſed quia id parum firmum credebatur; in partem eorum pertractus eſt Petrus Vidonus Epiſcopus Laudenſis, poſt S. R. E. Cardinalis, tunc Nuncius cum facultate Legati à Latere

tere Apoſtolicus, ad Joannem Caſimirum Poloniæ Regem, amiciſſimus Epiſcopo noſtro. Hic publico manifeſto proteſtatus eſt Anno 1659, Alexandri VII. anno 5to, contra ea, quæ in Comitijs directè vel indirectè præjudicioſa unioni prodierunt in tractatu de pace ineunda cum Coſacis. Poſt hunc Epiſcopus noſter, adjunctis ſibi alijs Præſulibus, ſimili manifeſto contra omnia, quoquo modo in DEum, Eccleſiam Chriſti, populumq; fidelem iniqua & injurioſa proteſtabatur, arguebatq; nullum habere robur illud pactum, aut ſtatutum inſertum in regni Conſtitutiones anni dicti.

Non habuerunt igitur, DEo gratiosè diſponente, & Sanctam ritus Græci cum Romano Unionem protegente, nec ullo modo habent, tam prægnantia & abſurda pro parte Schiſmaticorum privilegia ullam efficaciam. Perfida enim gens, quantumvis tam pingvi illicio ad perduellionem ejurandã provocata, in rebellione tamẽ inſordeſcere maluit, quàm ſuo, etiam tanto bo-

no, pacem emere. Electo paulò pòst Michaële Rege, rursus ab Ordinibus Reip. inter deputatos congressui habendo pro controversijs cum Cosacis vertentibus componendis, ad assistendum nomine publico adlectus est Episcopus noster. Quod munus, quantumvis sterile, sicut revera fuit, fore prævidebat; magno animo suscepit, incitatus etiam à Galeatio Archiepiscopo Corinthi Nuncio in Polonia Apostolico, qui in datis ad eũ die 20 Martij anno 1670, indicat: hac eũ pulcherrima occasione posse amplissimè mereri de Catholica Religione, & de Apostolica Sede; nec non à cælestis Largitoris manu suæ pietatis & pastoralis zeli cumulatius referre præmium; quàm si in claustrali cella religiosam vitam in cinere & cilicio ageret; habiturumq; præter Universæ Ecclesiæ plausum & laudes, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam. Rogat deinde eum obnixè in visceribus JEsu Christi, quatenus omni posthabito humano respectu, velit huic congressui interesse, ibiq; indutus loricam fidei, & scuto

vir-

virtutis aſſumpto, ſe pro domo Iſraël murum ponat, atq; ne ullum Sancta Religio noſtra, & Græco-Romana Unio, damnum ſubeant, virili Chriſtiani pectoris fortitudine adlaboret. Deniq; ſi ratione ſumptuum & expenſarum, quas in congreſſus loco ſubire opus eſſet, illuc ſe transferre; & tale munus à Rep. ſuſcipere renueret; ſpondet ſe omnem ſummam, quam ipſe ad hunc effectum neceſſariam eſſe exiſtimaverit, ære proprio ſuppleturum. Nimis enim, ait, refert; ut inibi pro Eccleſiæ bono adſit, & labores atq; incommoda hujuſce muneris Altiſſimo offerat. Et hæc ſunt, quæ pro bono Sanctæ Unionis egit Epiſcopus noſter. Cæterùm priuſquam caput hoc abſolvam; juvat hic annectere ea, quæ pro defenſione Sanctæ hujus Unionis contra Schiſma Græco-Ruſſum diligenter notavit Præſul noſter: ut ſeræ poſteritati cordi ſit, quod tantis privilegijs firmârunt Majores.

Brevis Informatio de privilegijs, quæ hominibus Ruthenæ Religionis, Romanæ unitis, collata sunt à Regibus Poloniæ, & Magnis Ducibus Litvaniæ.

ANnno 1413. Cùm Nobilitas Litvana uniretur Regno, & ornaretur prærogativis ejus, in conventu Horodlecensi tempore Jagellonis, & Magni Ducis Alexandri Vitoldi; privilegia solùm faciunt mentionem eorum, qui sub Obedientia Romani Pontificis vivunt: ubi insuper additur; quòd si Litvanus Ruthenam ducere velit, uterq; priùs juramentum deponere debeat, se manere & vivere velle ad mortem in Obedientia Romani Pontificis. Habetur hoc in statutis Regni, quibus hæ literæ insertæ sunt.

Anno 1415. Cùm Photius Græcus, factus Metropolita Chijoviensis, Russiam ab unione cum Ecclesia Romano Catholica scindere vellet, ac Schisma inducere; Alexander Vitoldus, Magnus Dux Litvaniæ, fecit congregari Synodum Cleri Rutheni Novogrodeci Litvanorũ,

vanorum, in qua ob Schiſma depoſito Photio, ſubſtitutus eſt in Metropolitam totius Ruſſiæ Gregorius Cimowlaka Bulgarus: hic à Vitoldo ad Pontificem expeditus eſt, & ad Concilium Conſtantienſe literas dedit, quibus unionē Eccleſiarum Ruſſiæ cum Romana Eccleſia firmare intendit.

Anno 1424. In privilegio dato civitati Vilnenſi pro exceptione à certis tributis, expreſſà ſolùm fit mentio ritus Romani, eò quod inter Ruthenos occulti irrepſiſſent Schiſmatici, ſequentes Haraſimum; qui ſe Vitepſci Metropolitam dixit, ac Schiſma promovit.

Anno 1433. Boleſlaus Swidrygayło, Magnus Dux Litvaniæ, occupato Vitepſco cepit Haraſimum, eumq; vivicomburio tanquam deceptorem & authorem Schiſmatis ſuſtulit; cujus memoria ad noſtra uſq; tempora perſeverat in lapide, ſuper quem crematus eſt.

Anno 1432. Sigiſmundus Kieyſtutowicz, M. D. L, confirmando privilegia data civitati Vilnenſi anno 1429, & extendendo ea ultra Catholicos Romanæ

Religionis etiam ad Ruthenos, expresſè ponit eos ſolùm, qui ſub obedientià Sedis Apoſtolicæ Romanæ viverent.

Anno 1432. Vladiſlaus Jagiello Rex Poloniæ recipiendo nobilitatem Ruthenam terræ Chelmenſis, Belzenſis, Podoliæ ac Volhiniæ ad prærogativas nobilitatis Polonæ, nullum facit diſcrimen inter Schiſma & Unionem, neq; enim id tunc neceſſe fuit. Nam eo tempore & Metropolita Cimowlaka cum omni Eccleſia & Clero vixit in unione ac obedientia Romanæ Eccleſiæ, & Cæſar Orientis Joannes Paleologus, cum Patriarcha Conſtantinopolitano unicè id procurabant, ut Eccleſia Orientalis rediret ad Unionem cum Eccleſia Romana. Quod autem per hæc non faverit Schiſmati prædictus Rex, facilè colliges ex eo, quod anno 1436 Patrem Fratem Nicolaum de Lencicia Ordinis Prædicatorum fecerit Generalem Inquiſitorem in toto regno ſuo non tantùm hæreſeos, ſed & Schiſmatis.

Anno 1443 Idem Rex ad inſtantiam Iſidori Metropolitæ Chijovienſis, S.R.E. Car-

Cardinalis, dat privilegia Clero Rutheno jam unito cum Ecclesia Romano-Catholica, studio Eugenij IV. Pont. in Conc. Florentino; in quibus privilegijs liberat eos ab oneribus, quæ subire debebant in Schismate.

Casimirus Jagiello Rex Poloniæ, & M. D. L., non tantùm favorem non præstitit Schismaticis, sed insuper ad instantiam Filij sui S. Casimiri legem tulit, ut novas Ecclesias õn ædificarent, nec antiquas restaurarent, circa annũ 1472, prout testatur P. Petrus Skarga S. JESU dicens hoc privilegium servari in archivo Ecclesiæ S. Stanislai Vilnæ.

Joannes Albertus Rex Poloniæ, pariter nullum favorem præstitit Schismati; imò post mortem Joannis Hlezna anno 1492 pro Metropolia præsentavit Macarium Archimandritã Vilnensem, tanquam eum, qui verus ac sincerus esset unitus, qui etiam solenni illi legationi (quâ nomine totius Dominij Litvani & Cleri Religionis Ruthenæ, functus fuerat anno 1476 Ivan Alexandrowicz Soltan Thesaurarius Ma-

 gni

gni Ducatùs Litvaniæ, ad Sixtum Pontificem, recognoſcendo in eo caput Eccleſiæ, Chriſti Vicarium, ac D. Petri ſucceſſorem) qui, inquam, ſolenni, illi legationi, ac confeſſioni fidei unà cum Metropolita Misaële & primoribus Litvaniæ, id eſt cum Ioanne Chodkiewicz Mareſchalco & ſupremo Duce M. D. L. Paulo Chodkiewicz Capitaneo Camenecenſi, Alexandro Soltan Vice Theſaurario M. D. L alijsq; ſubſcripſerat.

Alexander Magnus Dux Litvaniæ nullum pariter exhibuit favorem Schiſmati, ideoq; nec in gratiam quidem Helenæ uxoris ſuæ unquam concedere voluit templum Schiſmaticum in arce Vilnenſi, quinimo ſemper eam ad fidem Catholicam adducere ſtuduit, licet ob hoc, bello impetitus fuerit à M. Duce Moſchoviæ Ivan Vaſilewicz, Patre Helenæ anno 1499. Factus deinde Rex Poloniæ omnia Prædeceſſorum ſuorum privilegia collata Unitis confirmavit, ad inſtantiam Epiſcopi Chelmenſis anno 1504. Quia verò Helena pertinaciter Schiſmati adhærebat, nunquam Poloni eam

coro-

coronari permiserunt.

Sigismundus I. Rex Poloniæ, M. D. L, aliqua jura à prædecessoribus suis lata, & leges contra Schismaticos, qui Obedientiam Sacræ Sedis Apostolicæ excusserant ad instantiam statuum Magni Ducatus Litvaniæ suo & Successorum nomine, juramento regio confirmavit in Comitijs Grodnensibus anno 1522 die 25. Martij. Rursus in Comitijs Vilnensibus anno 1529 firmando Unionem Magni Ducatus Litvaniæ cum regno Poloniæ, antiqua privilegia pro ijs solùm agnoscit, qui in Obedientia & Unione Rom. Ecclesiæ vivunt. Deinde anno 1543 privilegia data Unitis, seu viventibus sub Obedientia Sedis Apostolicæ, confirmat: per quod Schismaticos à favore Regio excludit.

Sigismundus Augustus, Henricus, & Stephanus Reges Poloniæ nihil unquam in favorem schismatis concesserunt.

Sigismundus III. Rex Poloniæ, M. D. L, post absolutam Synodum Brestæ anno 1594 2. Decembris (in qua Metropolita Michàël Rahosa, cum Archiepisco-

piſcopis, & Epiſcopis Sanctam Unionem cum Eccleſia Romana roborârunt, eiq; ſubſcripſerunt) conceſſit anno 1595, ut duo Epiſcopi Ritùs Græci Romam proficiſcerentur, videlicet Pociey Vlodomirienſis, & Terlecki Luceorienſis. Idem Rex anno 1596 6. Octobris coégit Synodum è Clero Rutheno Breſtam Litvanorum, cui præſentes adfuerunt nomine Legatorum regiorum, Leo Sapieha Cancellarius Magni Ducatùs Litvaniæ, & Demetrius Chalecki Theſaurarius, ſtatutaq; ibidem authoritate ſua ſtabilivit. Ad inſtantiam Pociey noviter creati Metropolitæ, privilegia conceſſa Clero Unito, maximè autem, quòd judícijs terreſtribus ſubjacere non debeant, confirmavit anno 1603. Decreta contra Unitos in tribunalibus Magni Ducatus Litvaniæ extorta à Schiſmaticis, caſſavit, novamq; edidit conſtitutionem anno 1609 ut controverſiæ Cleri Uniti in foro compoſito judicentur, ſicut judicantur Cleri Ritus Romani. Hoc rurſus non ſervit Schiſmaticis.

Ex quibus omnibus patet; quam falſum

ſum ſit illud, quod jactatur: Unionem ſolùm cœpiſſe ab anno 1596, privilegia autem ante eam conceſſa fuiſſe Religioni Ruthenæ, ac proinde non ſervire Unioni. Primò enim privilegia expreſsè ſonant: concedi illa ijs, qui vivunt in obedientia Pontificis Romani, ut habes ſuprà. 2dò Unio Eccleſiæ Ruthenæ cum Romana multò fuit antiquior; ut ſub Jagiellone, Vitoldo, Vladiſlao, Caſimiro & alijs. Metropolitæ item erant Uniti Sacræ Romanæ Eccleſiæ, Gregorius Cimowlak ab anno 1415. Iſidorus ab anno 1437. Gregorius à Pontifice impoſitus circa annum 1447, ſub quo Moſchovia ſe ſejunxit à Metropolita Chijovienſi. Miſaël ab anno 1476. Hlezna, poſtea verò Joſephus Soltan circa annum 1497, quem Moſchovitica acta propter unionem cum Eccleſia Catholica Latinum vocant.

Pacta deniq; & Conventiones cum Coſacis tempore Vladiſlai IV, & Joannis Caſimiri tanquam violenter extortæ, nec unanimi aſſenſu inſtitutæ, imò proteſtationibus rejectæ, effectum nunquam

quam ſortitæ ſunt, ipſáq; rebellione Coſatica iterata annullatæ & extinctæ ſunt.

CAPUT XXVI.

Hæreticorum extirpationi ac converſioni ſtudet.

QUantum ſemper operæ poſuerint Orthodoxi Præſules in pellendis è grege Dominico lupis: quantaq; egerint, ut è lupis oves fierent: ſupervacaneum eſt enarrare; cùm luce meridiana clarius ſit, quomodo ſingulis ſæculis novi Auguſtini contra novos Donatiſtas, novi Ambroſij, Gregorij alijq; contra alios ſimiles tenebriones egregiè zelârint, qualiq; pietate reduces ad cor ſuſceperint. Canes ſe eſſe debere arbitrabantur, cùm perſequendi erant hoſtes gregis Dominici; patres autem, cùm ijdem ejurata perdendi voluntate ſaniorem mentem induiſſent. Æmulatus hos egregiè Epiſcopus noſter, ita hæreſi juratus erat inimicus, ut iiſdem amantiſſimus Pater fieret, cum poſita

posita feritate ad ovile Christi reverterentur. Ac primò quidem zelo ejus non minùs, quàm aliorum Episcoporum Poloniæ, adscribi debet; quòd pestilentissima illa hæresis Ariana, quam Hosius Card. lib. de adoranda Trinitate, extremum impietatis gradum; in literis autem ad Nicolaum Radzivilium Ducem in Ołyka; extremæ impietatis baratrum, alij hæræsim Diabolicam, hæresium omnium sentinam, germanam Atheismi sororem, vocant; è regno Poloniæ in perpetuum decreto Comitiorum Generalium anni 1658, ac rursus anni 1659, itemq; anni 1661 & 1662 exclusa sit, concessa Capitaneis potestate, etiam sine delatione captivandi violantes has constitutiones; & prævia inquisitione plectendi tales pœnâ capitis; imò etiam privato cuivis data potestate captivandi ejusmodi, ad sistendum eos tribunali, aut cuicunq; Curiæ terrestri; ut executio omnino fiat per Capitaneos sub pœna privationis Capitaneatùs, inter causas mixti fori in tribunali ex speciali regestro vindicanda.

Quæ

Quæ quidē constitutiones tantū Joanni Casimiro nominis conciliârunt tum alibi tum præcipuè apud Alexandrum VII. ut pium hunc ejus zelum commendans, titulo eum Regis Orthodoxi decorarit. Benedictus DEus, scribit Episcopus noster ad Canonicum Varmiensem Ludovicum Fantoni, qui me in hæc tempora servàvit, quibus perniciosa illa, ac maxime blasphæma, & inimica Vnigenito Filio Dei secta Arij, seu ut eam vocant, Anabaptistica, perpetua lege exclusa est è finibus Poloniæ. Quis mihi det; ut similis sententia cadat super alias Poloniæ hæreses? tunc lætus morerer, caneremq; dulciter illud Sancti Senis, *Nunc dimittis Domine*. Libertatem sentiendi in fide, quæ cuiq; placita sunt; ut pestem Reip. nimium quantum oderat, negabatq; hanc dici debere libertatem; sed potius improbam licentiam ac impietatem, qualis & in inferno exulat; nam & dæmones non quæ volunt, sed quæ debent, contremiscentes credunt. Zelus hic clarissimè patuit, cùm Magnatum quispiam prædicantem

cantem Regiomontanum non obſcuri nominis, coram eo commendaret, quem Authorem volebat ſyncretiſmi, adderetquè: ſe optare, ut etiam per Poloniam relinqueretur hæc libertas ſentiendi in rebus fidei, quod cuiq; videretur, ad pacem ſervandam, nec ſe Status in ejuſmodi quæſtiunculas immitterent; ſed relinquerentur Jeſvitis, ne otio torpeſcant diſputandæ. Tunc enim ſolitò ferventiùs excanduit vir Dei in patronum hunc Placentinorum; ac de imprudenti ſermone hominem coarguit, dicens: eum, tali loquendi modo ſic ſapere, ſicut ſaperet, qui diceret: diſputent architecti de ſartis tectis, incendia interim libere graſſentur; ſoliciti ſint ſartores de veſtibꝯ ſarciendis, cæterùm permittantur impunè ſcindi à quovis. Non legit Placentinus iſte, quod verè, quantumvis hæreticus, Beza dixerat in epiſt. ſua Theologica: Libertatem conſcientiæ permittere, ſinere unumquemq; ſi volet, perire; diabolicum dogma eſt. Et hæc illa diabolica libertas eſt, quæ Poloniam & Transylvaniam hodie tot pe-

ſtibus infecit, quas nullæ alioquin ſub ſole regiones tolerarent. Hæc Beza. Iam ſi in eam, quam in reducendis ad ovile Chriſti errantibus á fide, operã poſuit, oculos reflectas: non contemnendam videbis multitudinem ab errore reductorum. Ut enim taceam, quæ jam ſupra (ubi de beneficijs erga juventutem ſtudioſam) attigi; plurimos è conſangvinitate ejus, qui poſtea in toga & ſago inſignes evaſerunt, quorumq; multi tam in ſæculari quàm Spirituali ſtatu ſuperſtites, Deo & Eccleſiæ deſerviunt, Chriſto adjunctos: habebat cum Patribus Societatis condictum; ut ſi quos opis indigos, ad fidem propenſos adverterent, ad ſe eos remitterent; proſpecturum eorum indigentijs. Qua quidem ratione mirum quantum lucratus eſt animarum. Suſtulit quippe longè moleſtiſſimum talibus obicem, quo uno deterrebantur à fide ſuſcipienda; quod ſcilicet converſis egeſtas incubitura ſit, ac qui egeſtatem conſequitur, contemptus. Converſis igitur, alijs quidem a Regia Majeſtate impetravit pingves

gves, etiam Capitaneatuum, proventus, alijs in urbibus officia honorifica, perpetuos alijs redditus, aut victum: alijs alio modo subveniebat. Neq; solùm necessitatibus eorum, dum viverent, solicitè providebat; demortuorũ etiam singularem habens curam laboravit: tum ut honestæ juxta cujusq; conditionem darentur sepulturæ; tum ut pro animabus eorum competentia fierent suffragia Ecclesiæ. Quin ipse talibus non raro solemniter parentavit. Sicut fecit Virgini Knobelsdorfiæ, anno 1659 paulò ante mortem suam, ope divæ Virginis, cujus salutationem Angelicã in hæresi cum gustu decurrere solita fuerat, conversæ; & alteri cuidam miram circa salutem suam Providentiam Dei commendanti, quod è partibus Saxoniæ se ad tempus extractam Brunsbergæ viatricem lectulo morbus affixerit, sanatamq; in anima, supremum diem obire contingeret. Præstitit hoc ipsum obsequij genus pluribus alijs, quãtumvis tenuioris essent notæ, pro animabus eorum solemnẽ Deo litans hosti-

am in eorundem exequijs. Quæ res tantam ei, apud ipſos etiam heterodoxos, commendationem conciliavit; ut plurium ea fuerit vox: facile omnes è Diſſidentibus reconciliandos Eccleſiæ, ſi ſacerdotes omnes, & Epiſcopi eſſent Ujeyſcij. Ipſa adeò perfidia Iudaica, quæ aliàs non raro poſt lavacrum ſalutare Baptiſmatis ad volutabrum luti Iudaici redire ſolet, apud Epiſcopum noſtrū integrâ fide & pietate Chriſtiana perſeverabat. Par ejus erga Apoſtatas è Religionibus Charitas: plures per eum Religionibus reſtituti, plures ad Apoſtolicos in Polonia Nuncios reſtituendi remiſſi; plures priuſquam hæreſi nomen darent, ac religionis habitum ponerent ab auſibus abſterriti, ad ſaniorem mentem, ac quem reliquerant Ordinem, reducti: alios verò ipſa Miſeratio Divina reſpiciens Epiſcopo noſtro velut amantiſſimo Patri filios prodigos è regione longinqua à ſiliquis porcorum, ſtolâ rurſus primâ veſtiendos, transmiſit. Quo ex genere videtur mihi fuiſſe ille, quem Regiomonti in ipſo defectionis articu-

lo

lo, voce ancillæ focariæ absterritum, ad Episcopum remedij causa expedivit. Venerat hic suo adhuc Religionis habitu Regiomontum ad ædes primarij Acatholicorum Ministri, ad ejurandam fidem; cùm mulier culinaria insolitum domi suæ hospitem videns, & subodorata, quod erat, his eum salutat: Vade inquit, vade, & fac ea quæ meditaris: paratum jam habet diabolus veru suum pro te, in quo te melius torrebit, quàm ego hanc gallinam. Ictus hoc velut fulmine, gressum retulit, rectâq; domum nostram, inde ad Episcopum, opis causâ tetendit, magnificans Bonitatem DEi; quòd qui principem Apostolorum tentari ac labi permiserit ad vocem ancillæ, se per eandem ab interitu vindicare voluerit. Et fuerunt quidem aliqui, qui auxiliatricem Episcopi dexteram fefellerunt, relapsi ad vomitum; quorum tamen scelus non diu exultavit in sordibus. Brevi enim vindice DEi justitia correpti pœnas dederunt, quas Apostatæ meruerant. Eorum è numero fuit impo-

 stor

ſtor ille, qui dum iteratò transfuga, rabulam ſeu Miniſtrum Verbi Dei in ducatu Pruſſiæ ageret, ac res quæpiam non ad guſtum ei accidiſſet, plurium in conſeſſu blasphemas voces ejiciens ita excanduit; ut ſangvis per os & nares copioſo alveo profluxerit non prius ſistendus, quàm infelicem animam evomuiſſet. Alter paucis à transfugio diebus, quantò prius hæreticorum plauſu exceptus, tantò poſtliminio opprobrio ob enormia crimina in facinoroſorum carcerem conjectus, impatiens diſciplinæ Religioſæ corpus, carnificis voluntati ſubdere coactus eſt: qui utinam vel inter fatalia tormenta ſapuiſſet & temporaneo dolore æternum redimens, relato à porta inferi pede blasphemam animam apud Epipatrum ſuum Lutherum non reliquiſſet.

CAPUT XXVII.

Amat Religioſos Ordines.

SOlemne eſt Præſulibus, zelo DEi & animarum ardentibus, non ſolùm ſæcu-

sæculari Clero stipare latera, eodemq; uti ad exequendum munus suum: verùm & Regularem libenter admittere, imò studiosè adsciscere in partem curarum & laborum; adeòq; velut utroq; brachio Clerum complecti utrumq; , & in paternum colligere sinum. Sic & Venerabilis Præsul Noster expandit sinum, dilatavit pectus, cor aperuit complectendis fovendisq; quibusvis personis Ecclesiasticis, probè gnarus: nullos esse superfluos in vinea Domini operarios, præterquam otiosos. Quamvis verò tenerrimo erga omnes sacras DEo familias ferretur affectu, paternâq; commoda illorum providentiâ procuraret: singulariter tamen Ordines eos coluit, quos suis insistere Institutis arbitrabatur, nec à Majorum suorum virtute deflectere, videbat. Horum precibus imperfectum suum ferventiùs commendabat: hos familiariùs accipiebat: his optabat benevolos, quorum auxilio vel consilio indigebant, horum se orationibus, vitamq; suam, & quæ erga se experiebatur

 DEi

DEi beneficia, debere dictitabat. Jam verò, si profusa illius beneficia in hos sacros DEo homines enarrare velim, impossibilia tentavero. Testantur ejus quondam aulici, mihiq; per literas communicant; stabilem hunc fuisse ejus morem, quòd quocunq; locorum venisset, ubi religio aliqua, qualiscunq; ea esset, sedem fixisset: ante omnia domui illi providerit, repetitis etiam vicibus, si eum ibidem diutius morari contingeret, idq; non uni solùm alicui; sed tot, quot ibidem reperirentur sacræ familiæ. Si quem fortè Mendicantium ex Ordinibus stipem petentem offendisset, dulci stringebat amplexu; quòd pro DEo voluntarium induisset mendicum; sibi micam aliquam meriti, per tales actus humilitatis obvenientis, concedi optabat, dimittebatq; multa cum consolatione donis ac laudibus locupletatum. Nullus ei tam vilis erat Frater, cum quo sortem suam mutare nollet; nullus tam abjectus, quem præ se pluris non faceret. Quantum, ajebat identidem, sub lacerna

Fratris

Fratris hujus latet divitiarum cælestium: mundo vilis, DEo & Angelis preciosus Frater iste, concha videtur contemptibilis, & continet cœli gemmam; egenus & pauper est, hæreditatem autem habet indeficientem, ipsius veritatis oraculo: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* His alijsq; benevolentiæ testimonijs ac beneficijs ita sibi Religiosorum omnium devinxit animos: ut eum omnes tanquam Patrem colerent, & ejus, quod habebant pretiosissimum, scilicet meritorum suorum, participem facerent. Sic quippe Societas nostra, primitus quidem per P. Melchiorem Schmelling Provincialem, fecit eum tunc adhuc Canonicum Plocensem, S. R. M. Secretarium, participem meritorum Provinciæ Litvanæ anno 1647 die 16. Novembris: postea autem jam Abbatē Plocensem, Præpositum Ecclesiæ Varm: meritorum totius Societatis per P. Vincentium Caraffam ejusdem Societatis Præpositum Generalem ad annum 1649 diem 4 Maji. Ordo Prædicatorum, quan-

tumvis ei, ut ſupra vidimus, cum parentibus, ac ſororibus jam ante communicarit merita ſua; iteratò tamē hanc Ei gratiam contulit anno 1644 die 3 Iulij per Fratrem Thomam Turcum Magiſtrum Generalem, aſsumptionis ejus anno 1, ſubſcribente Fratre Franciſco Bartolino Magiſtro; ac rurſus anno 1661 die 11 Junij per Fratrem Joannem Baptiſtam de Marinis Magiſtrum Generalem, ſubſcribente etiam Fratre Leonardo Hanſen Magiſtro Provinciali Angliæ. Ordo Carmelitarum diſcalceatorum cum extenſione inſuper ad participationem Privilegiorum, ac indulgentiarum, per Fratrem Philippum à ſanctiſſima Trinitate Præpoſitum ſuum Generalem Congregationis S. Eliæ, ac priorem Montis Carmeli anno 1667 ſubſcribente Fratre Innocentio à S. Thereſia Secretario; Ordo Minorum Reformatorum per Fratrem Valerianum Rzewuſcium Provinciæ Minoris Poloniæ & Ruſſiæ S. MARIÆ Angelorum Magiſtrum Provincialem anno 1665, cum electione in Iudicem Conſervatorem Ordinis;

dinis; Ordo S. Salvatoris, aliàs S. Brigittæ, recepit eum in Fraternitatem ſuam cum participatione omnium privilegiorum & gratiarum, & obligatione ſuffragiorum poſt mortem, oblatione item annuli Confraternitatis anno 1670 per Fratrem Vilhelmum Jacobum Gſcheidt Confeſſorem Generalem ac Priorem Gedani in Monaſterio Marienbrun ejuſdem Ordinis; Deniq; Ordo Minorum regularis obſervantiæ per Fratrem Sebaſtianum à Cajeta Generalem Commiſſarium Citramontanum ejuſdem Ordinis, adlegit eum anno 1644 Romæ in Conventu Araceelitano ad merita omnia orationum, meditationum, officiorum, diſciplinarum jejuniorum, peregrinationum, pœnitentiarum, prædicationum, omniumq; piorum operum tam fratrum, quàm monialium, aliorumq; jurisdictioni Ordinis quomodolibet ſubjectorum. Quanti porrò hanc cum Ordinibus Sacris gratiarum ac meritorum communicationem fecerit: patet tum ex eo, quod perſæpe prædicaret, ſe vitam & quidquid

quid haberet boni, ex hoc thesauro servorum DEi accipere, sperareq; intuitu tam sanctè factorum sibi peccatori non claudenda viscera misericordiæ divinæ; tum ex eo, quod talium gratiarũ participationem solicitè mendicaverit etiam ab ijs, in quos utpote longiore terrarum intercapedine dissitos, minùs quàm in alios sibi propiores, beneficus esse potuit. Quod videre est in aperto illi thesauro totius Carthusiæ per speciale hac super re illi concessum privilegium; quod quia clarè exhibet, in quanto pretio habuerit hanc Sanctorum communionem, hic de verbo ad verbum, pono.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Thomæ de Rupniew Ujeyski, DEi & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Chijoviensi & Czernihoviensi, Abbatiæ Plocensis Administratori perpetuo, Præposito & Canonico Varmiensi, Custodi Gnesnensi, Frater Ioannes, Prior Carthusiæ, ac totius Ordinis Carthusiensis Minister Generalis.

Cùm id quod minus est in Ecclesia

DEi

DEi, benedicatur & ſanctificetur à ſummo; æquùmq; ſit, qui dignitate, ordine & virtute ad ſupremum Numen accedunt propius, inferiores omnes ipſius Majeſtati commendare & repræſentare: mirum fortaſſe videbitur attendentibus, quòd Veſtra Dominatio Illuſtriſſima expetat à nobis humilium precum ſuffragia, & ſubſidia, cùm vix noſtris illa indigentijs ſufficere poſſe videantur. Sed meritò credimus, id ex ſingulari, quæ in vobis humilitate relucet, procedere; à qua fit, ut Spirituales proprij meriti dívitias non attendatis, ſed potius reſpiciatis ad alienas. Nos itaq; raro Veſtræ virtutis exemplo ædificati, & voluntate provocati, totum id, qualecunq; bonum eſſe poteſt in oculis DEi, operum noſtrorū, & religioſarum actionum ſive laborū, in Sacrificiis Sacroſanctis Miſſarum, jejunijs, eleemoſynis, pœnitentijs, Chori officijs, & orationibus aliiſq; ſimilib9 quæ per gratiam DEi in toto quaquaverſum Ordine producuntur, vobiſcum partiri conſentimus, & annuimus; eorumq;

rumq; facere conſortem Dominationē Veſtram, tenore præſentium profitemur in vita & in morte, quam etiam advenientem (poſt ſera fata) beneficio anniverſarij perpetui in Calendarijs domorum noſtro modo ſcribendi & perſolvendi, honeſtare paramus. Et in horum omnium fidem indubitatam hodie 20 Octobris Carthuſiæ has dedimus, anno 1668 ſub fixione ſigilli conſveti.

Sigillentur

Frater Joannes, Prior Carthuſiæ.

Sigillum pendulum ex ligula ſericea

Frater Thomas Boullay Scriba Rndi Patris & Capituli Generalis.

Hactenus de officijs Charitatis generatim erga Religiones DEo devotas ab Epiſcopo noſtro præſtitis. Singularia ſunt, quæ exhibuit iis, qui ejus curæ quomodolibet commiſſi erant. Adminiſtrator perpetus Abbatiæ Plocenſis Ordinis S. Benedicti creatus, eam ſibi ſubjectorum curam habuit, quam in amante filiorum Patre deſideres. Imprimis autem de talibus ijs providit bonis, quæ quia hominem magis conjungunt

jungunt summo bono, primas in genere boni tenent. Et talia bona erant, quæ ad interiorē hominis statū pertinebant, eoq; referebantur; ut Spiritus conservaretur, regula refloresceret, ipsiq; viri Deo dicati vitam viverent supparem Angelis. Hunc in finem cum singulis agebat frequentius, singulos ad disciplinæ regularis observantiam adhortabatur; a senioribus, quid promovendo Spiritus fervori deesset, consilium capiebat, omnes propositis motivis ac sanctissimis institutis ad meliora promovebat; superiores quidem ad vigilem circa se & subditorum curam, subjectos autem ad superiorum reverentiam, omnes deniq; ad mutuam sui dilectionem. Ut verò suavem efficaciam adderet monitis; decerptis ex Abbatiali redditu proventibus, necessitatibus cænobij providere, studere commodis omnium, succurrere singulorum indigentiæ magna charitatis ostensione: rursꝰ contra externos obtrectatores ac oppressores agere defensorem, promovere in tribunalibus, ac aulis Principum, negotia

negotia ſibi creditæ domûs, commodis in omni occaſione invigilare. Qua paterna charitate cordibus omnium ſibi conciliatis, brevi intervallo effecit: ut ſuo quisquè intentus muneri, juxta Regulam vitam coram DEo & hominibus Sanctam viveret. Moverant Religioſæ Virgines Monaſterij Zuccovienſis in Pruſſia, Ordinis Præmonſtratenſis, ab obitu Andreæ Swiniecki. Præpoſiti ſui, ex certis; & in facto, ut ajebant fundatis prætenſionibus, toti Ordini Præmonſtratenſi litem in Curia Romana, ad eum finem & effectum: ut â jurisdictione ac ſubjectione Superiorum totaliter eximerentur, ac ſubderentur Loci Ordinarijs. Res magno motu agitabatur Romæ, Fratribus hinc monaſterij gubernationem quadringentis jam prope annis apud ſe fuiſſe, debereq; eſſe; iſtis è contra computatis Loci proventibus; conſideratisq; temporum, perſonarum ac Loci circumſtantijs, nullo modo id expedire, contendentibus. Opponebat ſe item Sanctimonialibus fortiter Frater Matthæus

Abbas

Abbas S. Vincentij Vratiſlavienſis, ejusdem Ordinis Vicarius Generalis, prætendens ad ſe pertinere plenam monaſterij inſpectionem, ſubjectionem ac confirmationem, qui eligendus eſſet, Præpoſiti. Hic tamen poſtquam perſonaliter in locum deſcendiſſet, Monialiumq; rationes matura deliberatione ponderàſſet, adhibito etiam plurium Doctorum ac prudentum conſilio, invenit ac judicavit: nec utile, nec neceſſarium eſſe, ut huic Monaſterio præficiatur Præpoſitus aut alius Superior cum dignitate. Sacræ interim Congregationi Cardinalium negotijs Epiſcoporum ac Regularium præpoſitæ, quia controverſia in longum protrahenda timebatur, viſum eſt: proponi ſibi debere Epiſcopum aliquem Poloniarum, vitæ integritate ac ſtudio animarum commendatiſſimum, cui ad interim adminiſtratio monaſterij tam in Spiritualibus, quam temporalibus demandaretur. Propoſitus eſt ab Angelo Ranutio Archiepiſcopo Damiatenſi, Nuncio per Poloniam cum Poteſtate Legati a Latere

Apoſtolico, Epiſcopus noſter; quem ubi ſacra Congregatio, collata ei plena monaſterij cura, approbavit; eam, ſolâ in animas pietate ac miſericordiâ motus, ut ipſemet in literis ad dictum Nuncium Apoſtolicum fatetur, ſuſcepit; egitq; ita feliciter ut Sacræ Deo Virgines, in hoc confinio hæreticorum, integerrimâ vitâ Catholicis æquè ac heterodoxis præluceret. Ante omnia ad præſcriptum Sacrorum Canonum, ac decreta Pontificum, & Ordinis ſtatuta, Cænobio clauſuram ſtrictam induxit, eamq; adeò efficacibus perſvaſit rationibus; ut ultro in eam omnes conſenſerint, propoſitis & auctis pænis in eas, quæ contrariarentur. Providit deinde illis de Confeſſario, quo indigebant, docto ac pio, ſicut & de Confeſſarijs extraordinarijs ad mentem Conc. Tridentini ſeſs. 25 de regularibus cap 10, & Statuta Ordinis diſt. 2 cap 25 n. 28 & 30. coram quibus animas ſuas effundere poſſent, promoveri ſemper in melius, dirigiq; ad eum perfectionis gradum, quem integritas ſtatûs Religioſi exigit

exigit Quantum porro Episcopus ipse probono earum tam spirituali, quàm temporali laboraverit; colliges ex datis ad me Succoviâ Virginum Religiosarum nomine; in quibus fatentur se in Reverendissimo Patre Thoma Vjeyski habuisse non solùm bonorum administratorem, sed Patronum, imò Patrem indefatigabilem in providendis monasterij commodis, ac amoliendis ab eo molestijs; eum contra hæreticos, & vicinam nobilitatem bona cænobij defraudantem, fuisse advocatum, occurrisse periculis amittendarum dotium, frequentem eum cum paucissimo, ne molestiam ullam crearet, comitatu fuisse monasterij visitatorem, exhortatorem ad bonum, directorem in Exercitijs Spiritualibus S. Ignatij, consecrasse non rarò Virgines, earumq; professionem excepisse, ex quibus aliquæ hactenus superstites gloriantur, quod à tam Sancto viro Deo dicatæ fuerint; nullam ab eo sine consolatione discessisse, ei deberi unicè, quod collapsa non nihil disciplina in Cænobio Succoviensi redin-

 tegra

tegrata refloruerit. Fatetur id ipsum Episcopus in suis ad præfatum Nuncium: aliam se apud has sanctimoniales faciem videre; sponsas Christi, eliminatis quæ pacem turbabant discordijs, cum serenitate animi sponso suo quietas deservire, atq; agere vitam cum ingenti suo solatio ac gaudio non absimilem cælesti.

CAPUT XXVIII.
Amor in Societatem JESU.

A teneris æstimata Ujeyscio Societas Iesu, per totius vitæ curriculum ei in amoribus erat. Huic conscientiam suam semper integrè manifestam esse voluit, obtentis à superioribus, qui sibi ex eadem essent à Confessionibus, & continuò essent à latere, Theologis. Cum hac panem dividebat suum per frequentes eleemosynas, hanc contra obtrectatorum lingvas, ac invidorum calumnias toto se defendebat, hanc suos in mores in tantũ induebat, ut nasutiores Regni nostri politici, cùm sua queq;

præ-

Præſulum nomenclatione, illum quidem ſtatiſtæ, alium Theologi, alium Legiſtæ, alium aliâ traducerent, uni huic Jeſvitæ Epiſcopi, aut Jeſvitarum patroni nomen affricuerint. Et ſciebat ille de hac antonomaſia, gaudebatq; in ſinum, quod talem ſe homines ſæculi dicerent, qualis eſſe averet. Nec hoc ignorabant Magni Nominis Senatores: unde eorum aliqui, quantumvis & ipſi bene vellent Societati, ut Epiſcopi zelum provocarent, identidem contra nos quæpiam comminiſcebantur, referebantq;. Ad quæ illi ſemper ſuus præſtò erat clypeus: injuriam fieri, reponebat, integerrimæ Religioni per tales calumnias, petita eſſe ex malevolorum caſtris ea arma, aut ex hæreticorum famoſis libellis deſumptas cavillationes; vel certè excuſabat, quæ ut facta (cùm tamen à ſolis narratoribus ficta eſſent) allegabantur. Quodſi autem per conditionem perſonarum licebat ei eſſe monitorem; verbis ad exprobrationem compoſitis arguebat Momos ejuſmodi de convitijs, ac injuri-

juriosis nomini nostro fabulis; non sapere Christianum dicta hujusmodi: tangi oculos ac pupillam suam, cùm Societas tangeretur, nec posse esse hostem Societatis, qui suus non esset, contestabatur. Cæterùm ipse non honorificè tantùm, sed magnificè semper de Societate loquebatur, Sacrosanctæ Societatis, suæ Societatis, dilectissimæ cordi suo Societatis nomenclaturâ eam condecorando; personas ejus, ut filios DEi venerabatur, suorum Patrum ac Fratrum, amicissimorumq; sibi, nominibus honorando. Dictitabat, se nullibi libentiùs agere, quàm inter nostros; unde etiam Collegia & Domos Societatis quasi domesticus ingrediebatur, non modò cùm recollectioni animi per octiduana S. P. N. Exercitia tempora designâsset, sed quoties per iter, locum, ubi Societatis erat domicilium offendisset. Varsaviæ in domo Professa duo sibi excitaverat cubicula, quæ per tempus Comitiorum ac suæ inibi habitationis incoleret quasi unus ex nobis, frugali eaq; communi cum

noſtris contentus mensâ; ijsdem, ut alibi videbimus, ſuper menſam pænitentijs, eodem quantum per negotia publica licebat, vivendi uſus ordine. Recurrebamus ad eum, tanquam ad Patrem filij in negotijs ac gravaminibus, quæ ab externorum patiebamur malevolentia, & præſentiſſimum remediũ à conſilijs & auxilijs ejus referebamꝰ: non incumbebat nobis dolor, quem non ſentiret ipſe; non afflictio, quam ſuam non crederet. Et hæc quidem erga nomen noſtrum gratioſiſſimi Præſulis charitas rara arctiſſimo & perpetuo in communicatione, ut jam diximus, meritorum Societatis univerſæ, eum nobis devinxit nexu. Poſtmodum tamen, quaſi vellet eum à nobis alienum, ipſa illa obicis loco erat, ne reipſa poſito Episcopatu in Societatem admitteretur, eo quòd vererentur Superiores tam amico ac potente patrono, quod futurum prævidebant per ingreſſum ejus in Religionem, deſtitui Societatem. Verùm quia non decebat, ut ſua viro noceret bonitas, & quod fiderent divinæ
 Pro-

Providentiæ Superiores Societatis, avulſo uno non defuturum alium aureum, per nos non ſtetit, quominus tam benevolus noſtri amor, ut primum Pontificia acceſſit benedictio, Societati incorporaretur. Cæterùm priuſquam, quæ in ea obtinenda exantlârit, referam; amoris ejus erga Societatem unum adhuc alterumq; argumentum paucis accipe. Agebat Novitium Societatis Ven: P. Thomas, cùm permixtus tyronibus alijs, pro more de divinis balbutientibus, ſuaq; vel è pia meditatione, aut aſcetica lectione excerpta, quaſi in ſymbolam referentibus, inter cætera audit ea, quodam referente, quæ habet P. Lancitius tom 2. Opuſculorum Spiritualium opuſc. 17 cap. 4. n. 211 de affectu eximio erga Societatem noſtram B. Ioſaphat Archiepiſcopi Polocenſis & Martyris inclyti, quo ita ardebat hic Vir Dei ut palam ediceret; *ſe eum non habere pro bono Catholico, qui Societatem Ieſu non amaret;* & quomodo quendam in ſocietatem blateronem in frequenti præcipuæ nobilitatis conſeſſu repreſſerit dicens

dicens: *Apparet Magnifice Domine, te non esse ex numero Prædestinatorum qui tam sanctam Religionem verbis adeo injuriosis carpere non metuis.* Solvi hic in lacrymas P. Thomas, rogareq; an hæc omnino haberentur in Lancicio? quo intellecto, benedicere Deum, quod sibi à primis annis amorem tam sanctæ indidisset Religionis; omnino se idē semper sensisse, nec aliter accepisse eos, quàm inimicos Dei, qui fuissent Societatis obtrectatores. Tum verso ad Socios tyrones sermone, amorem sanctæ vocationis tanto verborum pondere svadere; ut plures ex ijs multò pòst tempore se verbis illis mirificè accensos, ac in vocatione obfirmatos, confessi fuerint.

CAPUT XXIX.

Tuetur Societatem contra famosos cujusdam libellos

NOn fuisse splendidum duntaxat, sed ardentem erga Societatem amorem in Ven: P. Thoma, Episcopū ad-

huc agente, probavit tempeſtas, in nos concitata à quodam Iuris peritiore, quàm obſervantiore: cujus nomini parcitur reverentiâ eorum, è quorum gremio erat. Proſciderat hic, pingvi cum hæreticorum voluptate, famoſis Inſtitutum Societatis libellis; in quibus plurima, & peſtilentiſſima corraſerat mendacia ex damnatis à S. Sede libris & authoribus, ijsq; vel hæreticis, vel á Societate apoſtatis, alijsq; ſimilis farinæ molitoribus. Ut autem vanis hujusmodi cõmentis pondus adderet atq; authoritatem; ſiniſtrè adductis, mutilatis, aut in pravum ſenſum detortis, Sacris Canonibus, Summorumq; Pontificum Conſtitutionibus, ea firmare, operoſè molitus erat: nec quietem admiſſurus videbatur, niſi everſo, vel ſaltem reformato Societatis Inſtituto. Graviter hæc procella incubuit Socijs: ſed quod non ignorarent; ſupra quam petram Societatis Inſtitutum fundatum eſſet; & conſcientia rectè factorum ipſis clypeum obtenderet: auſa veterani hoſtis non plus ſibi nocitura, quàm ful-

fulmen picti Iovis arbitrabantur. Consulendum proinde potiùs honori dicacis authoris, quàm conflandas apologias, & vindicias eundum, judicarunt. At non eadem mens fuit amicorum. Svadebant ij, indormiendum non esse hac in re, â qua integritas nominis nostri penderet; nec silendum, ne diutius interrupta defensio palmam calumniatori concessisse diceretur; non debere nos esse crudeles in alios, quibus fama nostra esset necessaria, ad quam vulgus, quod veritatem ignorat, fere soleat respicere. Singulariter Episcopo nostro gravis accidit hæc nostrorum remissio; unde datis hac super re ad Admodum Rdûm Patrem nostrum Ioannem Paulum Olivam Præpositum Generalem, multa contra eam remissionē deponit: esse scilicet bene affectis molestam, bonis Catholicis injuriosam, inimicis gratam, omnibus admirationi; dari hac nostrorum conniventia facultatem majora audendi, novisq; scriptis impune Societatem proscindendi; & quasi Societas de veritate convicta, ei re-
 spon-

ſpondere non auſit, nec valeat, mali otioſè gloriandi; circumferri jam ſcripta, manu adverſarij exarata non absq; magno bonorum dolore, ac malè volentium applauſu, in quibus de profligata Societate gloriatur: ſanctè ſe affirmare, langveſcere jam plurimorum zelũ & affectum in Societatem, naſciq; perverſas de illa opiniones, quæ inclinent in adverſarium, quaſi vera ſcripſerit, quia impune toleratur. Nullibi patentius horum judiciorum theatrum eſſe, quàm in Pruſſia, ubi non modo hæretici Catholicis immixti perverſa judicia contra Societatem ex hoc langvore formant: ſed conſtantiſſima Catholicorum pectora aut pervertunt aut labefactant, aut ſaltem perplexa reddunt. Proinde compelli ſe zelo illo, quo fertur in Societatem immutabili, ad rogandum: ut Pater Generalis pro ſuprema authoritate ſua efficiat, ut procax iſte Goliath tandem, in exemplum aliorum Societatis hoſtium, cadat, caſuq; ſuo alios â pari audacia deterreat; & ſic Societati ſua tranquillitas, & temerata in-

quieti

quieti hominis offucijs integritas, restituantur. *Hæc Ven: Episcopus noster.* Cui cùm suam quoq; authoritatem, stimulosq; sociâsset Serenissimus Poloniarum Rex Ioannes Casimirus, etiam literis datis ad eos, ad quos pertinebat, de insolentia hominis coërcenda: quasi à somno experrecti Socij Provinciæ Litvanæ, ad remedia Iuris confugerunt, data adversario Citatione ad Nunciaturam Apostolicam in Regno Poloniæ. Illustrissimus Nuncius, Angelus Ranutius, sive aliorum negotiorum mole impeditus, sive alias ob causas, rei cognitionem cum potestate Iudicis commisit Illustrissimo Episcopo Chijoviensi. Qui vocatis rite partibus, ea accuratione & integritate causam ventilandam suscepit: ut neutri Inimicus videretur. Machinis tamen adversarij causa retracta est ad Nunciaturam, sed tam sinistro eventu. ut hujus decreto, infamantes libri, infami manu & igne, in publico Varsaviensium foro, sint exusti.

Quantùm verò in hac causa Illustrissimi

ſimi Præſulis noſtri erga Societatem affectui, zelo & dexteritati tribuerit A. R. P. N. Præpoſitus Generalis luculenter teſtatus eſt literis repetitis. Harum priores dedit ad Socios Provinciæ Litvanæ, remedium petentes contra infeſta adverſarij molimina; in quibus non aliud ſuggerit quàm hoc: *Habetis inibi Illmũm Epiſcopum Chijovienſem ac Illmũm Nuntium Apoſtolicũ: hi duo efficaciùs ac citiùs rem perficient, quàm hic Romæ fieret per ambages & ſtrepitum Iuris*. Alteras gratiarum plenas direxit ad ipſum Illmũm Chijovienſẽ his apicibus

„ Intellexi ex P. Provinciali Litvaniæ alijsq; compluribus, quanta egerit Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pro vindicanda Societatis fama, adverſꝰ Dominum NN. qui editis non ſemel libellis eam proſcidit. Nunquam verò de fama noſtra ille tantum detrahere potuit, quantum ſuo iſto tam impenſo ſtudio eam amplificavit. Nihil enim ad minimæ hujus Societatis cõmendationem illuſtrius atq; honorificentius eſſe potuit, quàm quòd

ea talem

,ea talem vindicem aſſertoremq; ſit na-
,cta. Neq; verò nos tantùm beneficio
,affecit; ſed & omnes quorum bono
,ubiq; locorum fama noſtra inſervit.
;Quodſi enim ut D. Auguſtinus affir-
,mat, in libro de opere Monachorum,
,multò miſericordius operatur erga a-
,nimas infirmorum, qui bonæ famæ
,ſervorũ Dei conſulit;quàmerga corpora
,egentium , qui panem eſurientibus
,frangit. Patet profectò quàm bene de
,illis merita ſit Illuſtriſſima Domina-
,tio veſtra, quos ab NN. adverſus
,nomen noſtrum offucijs liberavit.
,Ego itaq; mearum partium eſſe du-
,xi, ut quas Illuſtriſſimæ Dominatio-
,ni veſtræ gratias debent omnes, i-
,pſe potiſſimùm agerem: & verò etiã
,referam, quas poſſum; indictis per Po-
,loniam & Litvaniam pro Illuſtriſſi-
,ma Dominatione Veſtra precibus atq;
,Sacrificijs, quibus utinam ipſi lon-
,gævam incolumitatem & uberrimam
,è cælo opem impetremus. Romæ 11
,Martij anno 1673. & ita quidem Adm
,Rd9 Pater Noſter Ioannes Paulus
Oliva.

„ Oliva. Cæterùm Ven: Episcopus le-
„ ctis quæ ad eum datæ erant, sequen-
„ tes reposuit.

Reverendissime Pater, Pater Colendissime.

„ Non sine magno dolore dudum
„ spectavi, vulnera Matris negligi à
„ Filijs, & famam Societatis, qua ad
„ promovendam in animabus Dei glo-
„ riam nihil judico efficacius, diuturno
„ Reverendissimæ Paternitatis vestræ si-
„ lentio quasi projectam jacuisse. Nus-
„ quam didici, phreneticum alicujus ce-
„ rebrum sola dissimulatione emenda-
„ tum fuisse. Imò Reverendissimæ Pa-
„ ternitatis Vestræ dissimulatione au-
„ cta est in Domino NN. audacia, ut
„ improbo & contumaci calamo ad e-
„ vertendum nomen & Institutum So-
„ cietatis magis & magis grassaretur:
„ & nisi per me indignum (facta mihi
„ ab Illustrissimo suæ Sanctitatis in Po-
„ lonia Nuncio potestate) obviatum fu-
„ isset, non alium grassandi finem, quã
„ vitæ fecisset. Me certè institutio & ac-
„ cepta á Societate beneficia, ac ob-
strictа

, ſtricta beneficijs gratitudo, non po-
, tuerunt non provocare, quin vulnus
, Societatis, ad Dei gloriam, & Eccle-
, ſiæ Chriſti incrementum ſummè effi-
, cacis, pro meo ſentirem, & magis quã
, proprium vindicarem; ratus, gratiâ
, non miteſcere contumaces, ſed pæ-
, nâ; & niſi metu contineantur, non
, ponere inſaniam, ſed augere. Feci
, proinde aſſerendo nomini unicè dile-
, ctæ Societatis, quod debui ac potui:
, non minus & poſtea ejus integritati pro-
, ſpecturꝰ quàm oculi mei pupillæ; quàm
, dum ſaniſſimam deſidero, ne leviſſi-
, mo contactu patiar violari. Quod me-
, um propoſitum, gratitudo Reveren-
, diſſimæ Paternitatis Veſtræ magis in
, me accendit: uti & indicenda ſacri-
, ficia (pro quibus maximas ago gra-
, tias) ita intendunt: ut ad obſequium
, Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ
, & totius Societatis tutelam, vivam
, ferventiſſimus. Quod dum ſpondeo,
, me gratiæ & Sanctiſſimis Reveren-
, diſſimæ Paternitatis Sacrificijs plu-

, rimùm commendo. Varsaviæ 30 Maij, anno 1673.

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ
Devotissimus & Obsequentissimꝰ Servus
Thomas Ujeyski Episc. Chijoviensis.

Neq; verò omittendum hic nobis est insigne illud eadem in causa erga nomen nostrum amoris ac beneficij. Ediderat novum ad denigrationem nostri famosum opus adversarius idem, hæreticis Gedanensium typis, jamq; res in eo erat; ut parte librorum in navim deportatâ, circa reliqua deportanda laboraretur, ut ita infame opus Amstelodamum, ac inde per Angliam, Hollandiam aliasq; partes dispergeretur: cùm Ven: Episcopum nostrum, providum quanta ex hoc libro pestis, ac Catholici nominis labes sit surrectura, res advertit. Obviam igitur iturus malo, profusâ non modicâ pecuniæ summâ omnes cum manu-scripto exemplari redimit libros, redemptosq; quà ex officina, quà navi, omnes unà cum exemplari igni sepelit minus quidem authoris denigrativo, quàm nuperus ille Var-

savi-

ſavienſis, magis autem decoro Societati: quòd tam ejus quàm authoris nomen tali munificentiâ vindicatum fuerit.

CAPUT XXX.

Urget dimiſſionem ab Epiſcopatu, eamq; impetrat.

SUb hæc acutiſſimo morbo in lectum projectus Ven. Epiſcopus primævum ineundæ Religionis propoſitū, honorum umbratiles luces, annos in ſenium vergentes, Lancicianum de vita in Societate finienda oraculum memorare cœpit. Subibant animum ſalutaria illa D. Hieronymi Nepotianum exhortantis monita: *Extruis monaſteria, multus à te pauperum numerus ſuſtentatur: ſed melius faceres, ſi & ipſe ſanctus inter ſanctos viveres.* Feriebant mentem in longam ætatem producta ſanctioris vitæ propoſita, nec quietem dabat homini dolor de tamdiu dilata ſtatûs mutatione conceptus, quam à ſe exigeret propria ſalus, optaret DEus. Quare ferreo apud animum ſu-

um proposito sanxit: se ut primùm morbo solveretur, nihil intentatum relicturum, quoad quem peteret, Religionis portum teneret. Soluti exin morbo prima fuit cura, impetrare requisitam ad eum finem per *cap. Licet, de regularibus*, dispensationem Sedis Apostolicæ, qua sibi potestas fieret transeundi ad religionem. Copia datarum ad suam Sanctitatem Clementem X. hæc est.

„ *Beatissime Pater*
„ *Pater Clementissime.*
„ Post devotissimam pedum Sanctita„tis Vestræ exosculationem, facta re„latione super statu afflictissimo Epi„scopatûs mei Chijoviensis, supplex ite„rum ad pedes Sanctitatis Vestræ pro„volvor, & humillimè supplico; qua„tenus me ab Episcopatûs ulteriore „cura & titulo totaliter absolvere di„gnetur. Movet me ad hoc petendum „non altioris Episcopatûs adipiscendi „spes, vel appetitus, neq; ulla tempo„ralis ratio aut respectus, sed ultimus

ille

,ille dissolutionis corporis & animæ,
,forsan jam propinquus, dies, quo DEo
,Judici vitæ meæ rationem redditu-
,rus sistar. Huic solidâ præparatione
,prævia me disponere intendo, depo-
,sitis alijs humanis abstractionibus &
,curis, quâ Ecclesiasticis, quâ regni
,publicis, quas indefessè tota mea æ-
,tate hucusq; continuò impendi. Mo-
,vet & monet me fracta per labores
,ætas sexaginta jam & trium annorũ;
,movent variæ laborantis sanitatis &
,vitæ indices, illæ frequentes debilita-
,tes, monitores non longè absentis ul-
,timæ diei. Movet & conscientia,
,quandoquidẽ ob rationes in relatione
,mea expressas, durante bello anima-
,bus mihi commissis succurrere neque-
,am, & demum restituto forsan Re-
,giâ potentiâ Episcopatu meo, consum-
,ptis per annos & labores viribus im-
,par futurus sim; tam Episcopatum
,istum in tanta solitudine constitutum,
,& ultra centum milliaria Germanica
,dissitum per omnes cæli & itinerum
,incommoditates accedendi, quàm no-

,vum clerum (anteriore expulſo & ,mortuo) neſcio unde in Epiſcopatum ,inducendi, Ecclesias, manſiones, prædia diruta & exuſta reædificandi, & ,alia munia graviſſima exercendi. Quibus accedet frequentior ad comitia ,regni per tantum terrarum ſpatium ,& vix imaginabilia itinerum incom- ,moda aditus, qualibus ferendis ætas ,viresq; meæ planè deficiunt. Non ,novum id ante hac in Polonia fuit, ,ſenes Epiſcopos à Sancta Sede Apo- ,ſtolica paribus relaxationibus vitæ pri- ,vatæ redditos eſſe; quod ipſum me ,in ſpe mea confirmat. Supplico igi- ,tur, & iteratò ſupplico Sanctitati Ve- ,ſtræ, dignetur me à vinculo Epiſco- ,patûs mei clementiſſimè abſolvere, & ,meditationem vicinæ mortis priva- ,tumq; DEo meo præſtandum ſervi- ,tium tantiſper indulgere; ut tandem ,quietus lætuſq; expectem Salvatorem ,meum, eiq; interim cum ſerenitate ,animi ſacrificem hoſtiam laudis. Quo ,petito meo obtento, magna obligati- ,onis meæ pars & cura erit: ob tan-

tum

,tum beneficium pro Sanctitate quoq;
,Vestra DEum meum indesinenter ex-
,orare.
,Frauenburgi in Prussia Varm:
, die 12 Martij. Anno 1674.
, *Sanctitatis Vestræ*
,Humillimus, Obsequentissimus, devo-
, tissimus Servus.
, *Thomas Ujeyski Episc: Chijoviensis.*

Dedit & alias plures ad S. R. E. Cardinales, singulariter ad Cardinalem Protectorem Poloniarum Virginium Ursinum, Card. Vidonum, Card. de Alterijs, aliosq; , quibus ardentissimè intercessiones apud Sanctitatem suam & Sacram Congregationem pro concedenda dimissione interponendas mendicat. His tamen omnibus nihil profecit, eò quod Roma judicaverit, nullatenus expedire; ut Viro tam necessario, Ecclesia ac Resp. fraudetur. Vide quæ hac super re ad eum scribat Card. Protector.

,, *Illustrissime & Reverendissime Domine.*
, Diuturna S. Congregationis Con-
,sistorialis adunatio in longum respon-

 dere

„dere necessario distulit; absoluta de-
„niq;, quonam fuerit in voto jam pu-
„to Dominationi Vestræ innotuisse. Non
„visum fuit Sacræ Congregationi, Do-
„minationem Vestram à vinculo Eccle-
„siæ Chijoviensis absolvere, dum ejus
„præfulgentia merita magis in regimi-
„ne ejusdem, quàm in privata domo
„splendescere possunt. Non est enim
„lucerna lucens ponenda sub modio;
„sed super candelabrum, ut luceat o-
„mnibùs, qui in domo sunt. Et meri-
„tò lugeret Ecclesia Chijoviensis ante
„ultima fata tantò viduata Pastore. Eja
„ergo Pastor bone, gregi tibi commis-
„so, cui tam fructuosè usq; modo in-
„cubuisti, usq; ad ultimum Spiritum
„inservire non dedigneris, & gaudeas
„titulo melioris boni, te à petita ab-
„solutione repulsum. Interim ad ser-
„vitia Dominationis Vestræ me para-
„tissimum offero.
„ Romæ 9. Novembris
„ Anno 1675.
„Ad servitia Illust. D. Vræ addictissimus
„ *Virginius Card. Ursinus.*

Per-

Perculſus his aliorumq; reſponſorijs Ven: Epiſcopus nondum cecidit animo, ſed alta ſpe erectus invocantem DEū, adhibitis longè plurimorum pauperum, quæ uberiore emit eleemoſyna, ſuffragijs, pulſare perrexit; dum ſibi janua panderetur, per quam abiret ab Epiſcopatu ſuo. Dat igitur iteratas ad Card. Protectorem in hæc verba.

„ *Eminentiſſime ac Reverendiſſime Dne.*
„ *D. Patrone ac Protector Colendiſſime.*

„ Veneratus ſum debita cum obſer„vantia reſponſorias Eminentiæ Veſtræ „literas, ſolitæ quidem gratiæ toties in „immeritum me liberaliter exercitæ „plenas; at petito meo (abſolutionem „ab Epiſcopatu Chijovienſi concernen„ti) obtinendo contrarias. Tota hæc „gratia à S. D. N. mihi impertienda „pendet ab authoritate, & interventu „Eminentiæ Veſtræ: in tanta vegeto„rum Prælatorum abundantia, nihil „Eccleſiæ, nihil Reip. ex hoc meo du„dum præmeditato, maturè determi„nato, propoſito decedet. Labores &

,fidem, quam utriq; debui indefessè,
, incorruptè, ad virium usq; lapsum im-
,pendi. Ad ulteriora ætas, debilitas,
,fracta sanitas non sufficiunt. Indul-
,get omnis natio, omnis status, & ipse
,etiam juris rigor emeritis, senibus,
,fractisq; dimissionem: cur mihi ulti-
,mam jam vitæ lineam decurrenti qui-
,etiorem saltem præmeditationem pun-
,cti illius, inania mundi simul termi-
,nantis, & æternitatem ordientis, fa-
,vor, authoritas & pietas Eminentiæ
,Vestræ non indulgeat? Sponsus cæ-
,lestium nuptiarum non expectandus
,est, sed occurrendum appropinquanti;
,& per ægritudinum molestias de ad-
,ventu monenti, dum præcipuè in Ec-
,clesia & Rep. non desint, qui lampa-
,da post me recipiant. Non cesso i-
,gitur pulsare, non cesso supplicare E-
,minentiæ Vestræ, atq; uti firmus &
,constans propositi mei maneo: ita de-
,missimè iteratò supplico; dignetur
,Em: Vestra illud ipsum authoritate
,sua aqud S. D. N, efficere: pro qua
,summa gratia primæ gratitudinis meæ
partes

,partes erunt, diruptis vinculis meis pro
,incolumitate Eminentiæ Veſtræ, DEo
,optimo in ſerenitate animi ſacrificium
,laudis immolare: cui reſidua vitæ meæ
,momenta debebo, quia libertatem, &
,quietem Spiritus mei debebo.

Hæc Epiſcopus ad Card. Protectorem. Juvat & alias hic adjicere, quas dedit ad Cardinalem Petrum Vidonū, ſibi olim, dum Nuncium per Poloniam Apoſtolicum ageret, intimum; ſic hæ habent.

,, *Eminentiſſime ac Reverendiſſime Dne.*
, *Domine ac Patrone Colendiſſime.*

, Contriſtatus ſum ad intima uſq;
,Spiritus mei, quando gratioſam quidē
,mihi illam Eminentiæ Veſtræ obni-
,tentiam legi, at deſiderio meo adver-
,ſam, intento meo planè non propiti-
,am. Nihil utiq; peto, nihil ambio,
,Eminentiſſime Princeps, niſi ut ampli-
,us nihil petere nihil ambire poſſim;
,& cui præter ſepulchrum nihil ſuper-
,eſt, cui mortis & vitæ futuræ portæ
,jam non in longinquo, ſed in vicino,
,imò in conſpectu ſunt: tantiſper in
laben-

„labente restantis vitæ morula plan-
„gam dolorem meum, diruptisq; cu-
„rarum vinculis, DEo meo sacrificem
„hostiam laudis, & reddam Altissimo
„dudum promissa vota mea. Ulterio-
„ribus laboribus & merendi desiderio
„lapsæ per ætatem vires obicem po-
„nunt. Sponsa mea in raptoris hostis
„servitute gemit, quam uti eripere mi-
„hi, ita & accedere impossibile est. Al-
tioris Episcopatus desiderium longè est
„à me; nec defuit hac in parte erga
„me Serenissimorum Regum Poloniæ
„in offerendo gratia, sed mihi sponta-
„nea in acceptando voluntas. Unde
„summam illam, qua Eminentia Ve-
„stra supereminet, imploro pietatem,
„ac pronus repeto petitum meum: di-
„gnetur desiderij & voti mei in Sacra
„Eminentissimorum Dominorum meo-
„rum Cardinalium corona in futurum
„esse patronus ac promotor; ut tandē
„solitudinis cupitæ beneficio donatus,
„mihiq; redditus, tantò reflexior de-
„precer DEum Optimum pro diutur-
„na Eminentiæ Vestræ incolumitate;
cujus

„cujus gratiæ me & indigna mea re-
„verentiſſimè mancipo obſequia.

His aliiſq; literis Romæ effecit Ven: Epiſcopus; ut in partes voti illius conceſſerit Clemens X. Pontifex, annutumq; ſuum (prout teſtatur Cardinalis de Alteriis in datis ad Ven: Epiſcopum noſtrum) dederit referendum ad Sacram Congregationem ſuper dimiſſione ejus, unà cum injunctis, ut quoad viveret dimiſſus, pro ſua Sanctitate ac Poloniarum regno maneret exorator. Verùm hæc Clementis X gratia, quin illico effectum ſortiretur, ad Deputationem pro eadem dimiſſione inſtantiæ, quæ cum legitimo ac authentico mandato procuræ juxta formas in ſimilibus practicari conſvetas, peragenda erat, alia ex alijs emergentia impedivere: quibus dum amoliendis impigrè laboratur Romæ, intentio Epiſcopi noſtri domi manifeſtata, gravis ei moleſtiæ cauſa fit. Nam Epiſcopi ac Regni Senatores catervatim incubuerunt, ut à propoſito hominem abducerent; adjunctiſq; unde unde haberi pote-

poterant momentis ac ponderibus, intentatum nihil reliquerunt, ut contrariam mentem induerent homini, ut dicebant simplici, qui statum magis meritorium posthaberet minùs bono. Vehementior cæteris ac molestior ei erat Nicolaus Prażmowski Archiepiscopus Gneznensis ac Regni Poloniarum Primas, verbis usq; ad bilem ferventibus: ac Legatus Gallicus Episcopus Massiliensis, exprobrans imprudentiam, quòd imperfectiorem statum Regularem Pontificio præambiret, votumq; pararet emittere; quod quia non esset de meliore bono, minus æqvum esset. Et satisfecit quidem posteriori, modestè questus de injuria sibi ab advena illata; paucis multa Senatorio verborum pondere respondens. Priorem tamen, ne sibi Romæ impedimento esset, tacitè tolerare, ac dum res perficeretur dissimulare, necesse erat. Rex ipse Joannes III. ob antiquam cum Episcopo à puero necessitudinem, probatam in Collegio Senatorio fidem, emeritamq; viri prudentiam; ut eum à

propo-

proposito dimoveret, mittit: qui ei è duobus vacantibus Episcopatibus, Culmensi & Cujaviensi, offerat eligendum alterum, adjecto Sigillo Magni Poloniarum Cancellarij. Sed non plùs quàm cæteri profecit tanta ostensione affectûs, apud Virum tenacem propositi; quin ipse potiùs, cùm Episcopus frequens regijs accideret pedibus, oraretq; ne se in re tanti momenti impediret; interposita authoritate regia factus est pro eo, apud S. Sedem exorator, his ad Pontificem datis.

„ Non præsumerem Reverendi in „Christo Patris Thomæ Ujeyski, Epi„scopi Chijoviensis, desiderium San„ctitati Vestræ repræsentare: nisi Præ„latum hunc eximiæ vitæ, morum in„tegritas, amor cælestium, terrenorum „contemptus à sequiori absolveret sen„su. Agitur ille impetu sanctiore, in „eamq; incumbit curam: ut Episcopatu, „omniq; pastorali evolutus solicitudine „liberius ac facilius imminenti fatorum „occurrat necessitati, ac ad supremum „ita se præparet agonem, ut quod su-

pereſt

„pereſt ætatis, noviſſimorum impendat
„meditationi. Feſſus jam annis, vale-
„tudine nutante ac infirma, in Eccle-
„ſia & Rep. plenus meritorum, optimè
„advertit animum, qualem vigorem,
„quod robur animi, & corporis ſtatus
„illius requirat Epiſcopatus à Barbaris
„infeſſi, Græco oppleti Schiſmate. Ab
„hoc igitur exolvi onere, ab eo vin-
„culo Eccleſiæ, ſi nutu Sanctitatis Ve-
„ſtræ expectetur, in ſummam vertet
„felicitatem, ac in eo portu ſeptuage-
„nario propior, mortalitatis præſtola-
„bitur occaſum, cum retentione duo-
„rum Sacerdotiorum Abbatiæ Plocen-
„ſis, & Varmienſis Præpoſituræ. Ut
„igitur Prælati inter exempla probi-
„tatis numerandi deſiderium, quod
„Sanctitati Veſtræ defero, felicem fa-
„cilemq; apud eandem adipiſcatur ſuc-
„ceſſum, humillime à Sanctitate Veſtra
„poſtulo. Cæterùm polliceor mihi pro-
„pitias aures Sanctitatis Veſtræ pro-
„nùmq; animum vota hæc non minus
„æqua quàm Sancta repertura. Cui
„de reliquo longævum proſperumq;
rei

,rei Christianæ auguror imperium, e-
,jusdemq; protectioni me ac Regnum
,meum commendo.

Dedit & alias idem Rex ad Virgini-
um Card. Ursinum Protectorem Po-
loniæ, quibus ab eo diligenter con-
tendit; ut studium operamq; suam o-
mnem ad conficiendum hocce confer-
ret negotium, suæq; Sanctitati vellet
persvadere, quatenus notæ integrita-
tis Prælatum liberum præstare digne-
tur. Verùm nec per tantas instantias
res effectum ita facilem sortiri potu-
it. Quantumvis enim Pontifex beni-
gnè postulatis annuerit; voluit tamen,
ut rursus res ad Sacram Congrega-
tionem ventilanda remitteretur; ubi
cùm Agens ejus in Urbe Carolus Mon-
tius Abbas plenipotentiam exhibere non
potuisset, eò quòd putârit negotium
examinis causarum resignandi Episco-
patûs, & processûs in similibus usita-
ti, remittendum ad Nuncium in Po-
lonia Apostolicum, quod tamen ex spe-
ciali affectu S. Sedis factum non est,
desiderata sola plenipotentia; quæ, in-

quam, cùm exhiberi non poſſet, res, dū ea haberetur, manſit in Sacra Congregatione ſuſpenſa. Sed & cum illa allata fuiſſet, nondum decretum reſignationis extraditum eſt; quia Romæ haberi non poterant teſtes jurati, qui nôſſent manū Jacobelli notarij, qui eidem ſubſcripſerat; & quia dubitabatur, an vellet vivere inter Patres Societatis retento habitu Epiſcopali. Quod dubium inde habuit ortum, quia petebatur eliberatio ab Epiſcopatu, non ab aliis titulis eorum, quæ legitimè poſſidebat. Mittenda ergo rurſus altera fuit plenipotentia, quæ hæc omnia faceret dilucida; qua quidem miſsâ, ad iteratam inſtantiam Cardinalium tandem voti ſui tam ſolicite quæſiti compos factus eſt, conceſſaq; illi manumiſſio ab Epiſcopatu per ſequens inſtrumentum:

„ Sacra Congregatio rebus conſiſto„rialibus præpoſita, ſupplicante jam „pridem Thoma Epiſcopo Chijovienſi, „concedi ſibi veniam dimittendæ Ec„cleſiæ ſuæ tanquam ob ſenium & af-

fectam

,fectam valetudinem impari Episcopa-
,li & Senatorio muneri obeundo, cu-
,pientiq; abdicatâ curâ rerum huma-
,narum, in Divinarum contemplatio-
,ne mortem operiri; cùm articulorum
,super causis dimissionis ab eo exhi-
,bitorum examen distulisset, si fortè
,paternis Sanctitatis suæ hortationibus
,vir spectatæ in Catholicam religio-
,nem, & in hanc S. Sedem fidei, de-
,moveri de sententia potuisset, ipse
,verò novis & diligentiùs scriptis lite-
,ris preces iteraverit, Divinæ vocati-
,onis & constantiæ suæ testes, & sa-
,tis comperta alioqui sit veritas cau-
,sarum; re maturè discussa censuit:
,eundem Episcopum dignum esse, tum
,ob anteactæ vitæ merita, tum ob pro-
,positi sanctitatem, cui hoc solatium
,diutiùs non differatur; ideoq; si San-
,ctissimo Domino nostro placuerit, pos-
,se eum sine ulteriore inquisitione ad
,cedendum admitti. Et facta relatione,
,Sanctitas sua S. Cōgregationis Senten-
,tiam benignè probavit. Datū Romæ
die 4 Martij Anno 1676.

 Fran-

„ *Franciscus Ep: Ostiensis Card. Barberinus.*
„ *Augustinus Favoritus Secretarius.*

Accumbebat Varsaviæ mensis cum aliquot nostris Ven: Episcopus, cùm nihil tale speranti super prandium adferuntur literæ Cardinalis de Alterijs de die 1. Martij anni proximè dicti; in quibus à Sanctitate sua eatenus admissam esse cessionem significatur, ut Episcopum unà ab onere ulterioris examinis, quod in hujusmodi negotiis adhiberi omnino solet, absolverit: paulòq; pòst literæ Abbatis Caroli Montij Advocati suæ causæ, in quibus insertum habebatur prædictum instrumentum S. Congregationis. Hic ille exilire gaudio, ac DEum benedicere, qui talem secum fecerit misericordiam; ereptam esse animam suam velut passerem de laqueo venantium; hanc esse diem, quam fecit Dominus, qua sibi exitus de Ægypto concessus est; hoc pascha suum, & memoriale perenne bonitatis Divinæ erga se peccatorem. Affectum hunc gaudij suì aliquatenus delineavit in datis responsorijs ad eundem Cardinalē.

„ Ma-

„ Madentibus, ait, præ gaudio ocu-
„lis legi desideratissimas Eminentiæ V.
„literas, quibus nomine Sanctissimi in-
„dicare mihi dignatur; fas jam mihi
„esse gradum militiæ Ecclesiasticæ mu-
„tare, & ex altiore descendere ad in-
„feriorem, ex Episcopatu ad Religionē.
„Quo nuncio cùm nihil gratius acci-
„dere mihi potuerit, provolutus in ge-
„nua DEO meo imprimis gratias egi
„debitas, tum pro sua Sanctitate & Ve-
„stra Eminentia ea concepi vota, quæ
„ingenua gratitudo reposcit, impleturus
„DEo dante omnia, quamdiu vita super-
„stes fuerit, in tanta præsertim opportu-
„nitate, quantā castra religiosa, ad quæ
„proximè convolabo, præstant. In qui-
„bus qualia deinceps arma mihi tra-
„ctanda sint, ex alijs, nuper datis, E. V.
„literis didici, dum nomine Ss. D. N.
„Clementis X, à sua Sanctitate an-
„tequam ultimum vitæ actum ab-
„solveret, velut testamento legatum
„orandi studium mihi demandare di-
„gnatur. His igitur armis [alijs jam
„impar] utar deinceps, suspirijs, ge-

 mitibus,

„mitibus, precibus: utinam pari votis
„effectu! ut forti ad Sanctissimi Patri-
„archæ Jacobi exemplum cum DEo
„meo initâ luctâ, ipso antagonista su-
„um servum secundante, sternantur
„inimici Crucis, & non resurgant, Ec-
„clesia exaltetur, patria mea charissima
„tot cladibus afflicta respiret; quiq; mea
„desideria promoverunt, in quibus prin-
„cipem locum E. V. obtinet, diutissi-
„mè floreant, & maximis aucti meri-
„tis, eorum fructu post sera fata in
„beata æternitate lætentur.

CAPUT XXXI.

Resignat Episcopatum, ac Abbatiam Plocensem.

Litatâ in crastinum, ab accepta de dimissione sua notitia, Sacrosanctâ laudis hostiâ, ante omnia Regem Joannem III, cujus operâ magna ex parte manumissionem suam stetisse, arbitrabatur Ven: Episcopus, adeundum judicavit; tum ad agendas pro efficaci apud S. Sedem instantia gratias; tum

tum ut tantò celerius tabulas abdicatorias officiorum suorum formare posset. Excepit verò tenerrimo illum Rex optimus affectu tanquam eum, qui à prima juventute sibi in amoribus fuisset, collacrymansq; super zelo & innocentia ejus id unum repetebat: DEUS te benedicat Sancte Jesvita; unum te oro, mei, regniq; mihi Divinitus dati, frequens apud DEum orator in tua Sancta Eremo memoriam habeas; sortem tuam tibi gratulor, ac invideo; meliorem tu partem elegisti, quàm nobiscum alij in mundi vanitate. Tabulas tamen abdicatorias Episcopatûs & Abbatiæ differre eum tantisper voluit, quoad de sufficiendo sibi idoneo successore deliberaret, tunc sibi eæ per authenticum scriptũ mitterentur; quod etiam paulò post factum est his ad Regem datis:

„ *Serenissime ac Potentissime Rex*
„ *Domine D. Clementissime.*

„ Emenso mihi jam annos plures sexa-
„ginta, grande mortalis ævi spatium,
„non aliud superest, quàm sepulchrum.

 „Hæ

„Hæ meæ aliquot jam annis cogitati-
„ones; his & non alijs eò impellebar,
„ut deſtructis curarum externarum vin-
„culis noviſſima meditarer, & agonem
„dierum meorum ita impenderem; ut
„me mihi poſtliminio redditum, tan-
„dem cognoſcerem in meipſo; ne for-
„tè notus omnibus, ignotus moriar
„mihi. Impellebar autem vel maximè
„ex eo, quòd ſciverim, quòd licet in
„alijs temporaneis expenſis ſera in fun-
„do ſit parſimonia: vitæ tamen mor-
„talis etiam ultima momenta, tam pre-
„tioſa ſint, ut annos æternos lucrari
„poſſint. Hæc mea propoſita maturâ
„in ſecreto diſcuſſi deliberatione, pro-
„bavi Spiritum, an ex DEo eſſet, a-
„gnitaq; inviolabili conſtantia, ſupplex
„accidi Sanctiſſimo Domino Noſtro
„Clementi X. quatenus ex ſuprema
„Pontificiæ ſedis ſpecula reſpicere di-
„gnaretur ſuper imbecillitatem virium
„mearum, & ſuper diſcrimina, in qui-
„bus reſidua Epiſcopatûs Chijovien-
„ſis & Czernihovienſis fragmenta, mer-
„guntur, meaq; paternè diſrumpere
vin-

„vincula. Addidit Regia Majeſtas Ve-
„ſtra benevolâ inſtantiâ ſuâ pondus ſup-
„plicationi meæ. Ad primam tamen
„deſiderij mei notitiam Clementina be-
„nignitas, & Sacræ Purpuratorum
„Congregationis prudentia videbatur
„aliquantiſper hærere, adhortationibus
„paternis meas compellando & explo-
„rando reſolutiones. Ceſſiſſem tunc
„primæ poſt Superos authoritati, ſi re-
„ſolutio mea humanum fuiſſet opus.
„Præſentavit ſe rurſus Sanctæ Sedi i-
„terata Majeſtatis Veſtræ interceſſio-
„ne animata Supplicatio mea; meq;
„tandem voti compotem Sacræ Con-
„gregationis decreto, & Pontificiâ ejus-
„dem confirmatione, fecit; ut mihi
„jam liceat imbecilles vires meas Epi-
„ſcopalium curarum onere alleviare.
„Ergo exhauſtus viribus, annis & mor-
„bis fractus athleta, manumittor, ferè
„jam in limine, exultans ad currendam
„æternitatis viam. In Sacras Regiæ
„Majeſtatis manus conſigno Nomina-
„tionem Epiſcopatus Chijovienſis; hic
„ab hac hora à Majeſtate Veſtra ta-

„Iam optat virum, qui Sanctæ Sedis
„authoritate probatus, imperfecti mei
„resarciat jacturas. Depono simul cum
„Episcopatu Abbatiam Plocensem, par-
„tem ut onerum, ita impedimentorum
„in via mea non postremam. Et quia
„in literis Majestatis Vestræ lego, re-
„giam mentem inclinare in Perillu-
„strem Reverendissimum Dominũ Wit-
„wicki; gratias ago Majestati V, quòd
„tam benè meritum mihi in Abbatia
„successorem sufficere dignatur, quem
„ab ineunte noscens ætate, patriæ &
„Ecclesiæ utilem agnosco. Sic jam po-
„sitis ad pedes Majestatis sarcinis meis,
„inclino caput meum cum humili gra-
„tiarum actione pro omnibus favori-
„bus regalibus, ac beneficis declaratio-
„nibus, quibus me Majestas Vestra in
„Ecclesia DEi, & hac Republica deco-
„rare destinabat. Pro quibus quid re-
„tribuam Domino aliud, quàm indi-
„gnas preces meas, quibus intra me
„collectus quotidie Domino exercituum
„pro felici Majestatis Vestræ regimine
„supplex accidam; ut prosperè valeat
con-

,,contra inimicum Sanctæ Crucis pro-
,,cedere, feliciter vincere, atq; glorio-
,,sè in feros annos regnare. Osculor
,,manum Majestatis Vestræ
,, Indignus exorator
,, *Thomas Ujeyski Episc: Chijoviensis.*
,, Gascij 22 Augusti Anno 1676

His ad Regem datis bonam anni partem in conficiendis statûs rationibus insumere debuit: quibus ad calcem deductis, Plociam contendit, ijs vale facturus, quibus tanto annorum tractu Abbatis loco præfuit. Acta hoc loci juvat ex ipso Cænobij tabulario de verbo ad verbum transcribere.

Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, die 29. Martij, convocato campanæ pulsu ad locum solitum toto monasterij Patrum Fratrumq; cætu, præmissaq; consvetâ Sancti Spiritûs invocatione, celebratum est solemne & rarò visum Capitulum; in quo, quæ transacta sunt, his actorum Capitularium tabulis prò futura posteritatis memoria inscribuntur, ac consignantur.

Car-

Cardo & series totius in hoc capitulo actæ rei ea fuit, publicus scilicet abdicatorius valedictoriusq; Actus, quē Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Thomas de Rupniew Ujeyski, Episcopus Chijoviensis ac Czernihoviensis, Præpositus Varmiensis, Abbatiæ verò nostræ perpetuus Administrator, laude, veneratione, memoriâq; perpetuâ dignissimus, post abdicatam tam Senatorij Ordinis, quàm Episcopalis muneris sui dignitatem, etiam in abdicatione suæ Abbatiæ, pleno consessui nostro instituit. Quæ abdicatoria valedictio, verbis affectûs, humilitatis ac amoris plenissimis concepta, tamq; rarum ac heroicum in tanta persona tot dignitatum splendoribus conspicua exemplum, magnam uti ædificationem ita admirationem in animis totius Communitatis excitavit; eandemq; non minori consternatione, mœroreq; complevit, ubi se tanti Patroni, tamq; pij, affabilis ac facilis Patris, prudentissimi conscientiarum suarum directoris dulcissimâ præsentiâ, patrocinio, guberna-

tione

tione directioneq; orbandam agnovit. Qua metamorphosi consternata protinus supplex ac venerabunda pedibus amantissimi sui Patris advoluta, interpretem suæ mœstitiæ Reverendum Patrem Priorem (is erat P. Benedictus Rauschenberg) adhibuit, qui suæ Communitatis nomine in hæc verba finitum valedictionis intimatæ sermonem excepit.

Difficulter aliquid me eloqui posse fateor, Illustrissime ac Reverendissime Domine, Pater omnium nostrum, filiali nostrâ observantiâ colendissime; dum mea præcludit verba mœstitia ob inopinatam à Filijs suis in Christo genitis avulsionem tanti Patris, ex quo tanquam de plenitudine fontis, regularis disciplinæ & observantiæ copiosissimas hactenus hauriebamus salutares doctrinas: in quo tanquam in speculo exemplari admirabundi contemplabamur virtutes. Nunc autem, heu miseros nos! orphani derelinquimur. Sed meritò delictorum nostrorum pœnam sentimus, quam inobedientijs, ingratitudi-

tudinibusq; noſtris meruimus, quibus ſæpenumero benigniſſimum Patrem noſtrum ingrati Filij irritavimus. Indignos proinde ulteriore præſentiâ tam ſuaviſſimi Patris ac Benefactoris noſtri nos judicantes, gemebundi ad plantas provoluti, ſuam Celſitudinem humillimè deprecamur; ut quidquid ignorantiâ noſtrâ deliquimus, benignè nobis, per viſcera Chriſti obſecramus, ſit à ſua Celſitudine condonatū. Qua in ſupplici offenſarum noſtrarum deprecatione, ſupplices quoq; eas, quas mens capit pro tot tantiſq; laboribus, fatigationibus in hac vinea exanthlatis, quam indefeſſe annis circiter viginti ſex laudabiliter excolebat, pro omnibus paternis admonitionibus atq; Ordinationibus, pro ampliſſimis beneficijs Communitati cumulatè exhibitis, & vel maximè pro ſingulari, quo ſemper in Filios ſuos ferebatur affectu, deniq; pro omni beneficentia, quā monaſterio, templo, Sacriſtiæ, prædijs, atq;, adeò rei Oeconomicæ conteſtata eſt, ſubmiſſiſſimas habemus, ac ſemper debemus gratias.

Ad-

Adjecit ſub hæc quædam non contemnendi valoris donaria Ven: Epiſcopus; quibus nihil volebat, niſi ſui peccatoris apud DEum memoriam. Excepit autem illa ſumma cum gratitudine communitas tota, pluribus conteſtata, ſe ſui benefactoris munificentiſſimi deſiderijs ac poſtulatis libentiſſimè annuere, quem uti ſuum Abbatem ac Patrem etiam poſt abdicationem factam, imò etiam poſt ſera fata, eſſet recognitura, pro eoq; tam vivo quàm mortuo ſolita monaſterij Sacrificiorum ac Orationum ſuffragia perſolutura.

His peractis tandem Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus magno humilitatis actu & exemplo iterum totũ conſeſſum ædificavit, quando tanquam unus ex nobis in eodem capitulo, noſtrarum pœnitentiarum loco, culpam ſuam coram omnibus faſſus, eoſdemque deprecatus, pœnitentiam ſibi, pſalmum Miſerere flexis genibus devotiſſimè recitando, omniumq; pedes humillimè exoſculando, injunxit; ac deniq; inter mutuos amplexus amantiſſimos

vale-

valedixit.

Et hæc eſt totius hujus Capituli perenni memoriâ digna transactio; in qua tantus Senator, tantus Præſul, tantus Abbas ſpontaneè, amore DEi, ſuæq; ſalutis, tantis honoribus ſe exuit, pro quibus etiam in ſchola perfectionis ab alijs totis animi ſtudijs decertatur. *Hactenus dictum tabularium Cœnobij Plocenſis Ord. S. Benedicti.*

Reſtabat reſignatio Canonicatûs ac Præpoſituræ Varmienſis; ſed & hæc brevi non cum diſpari conteſtatione affectûs erga Confratres ſuos PP. RR. DD. Canonicos, nec cum diſſimili Ven: Capituli dolore expedita. Diſperſis deniq; in pias cauſás reſiduis bonis, calcatâ omni mundi gloriâ, omniq; illius ſpe, ſub vexillum Crucis in Societatem JESU, Illuſtriſſimus meritis in Eccleſiam & patriam Præſul, evolavit.

CA-

CAPUT XXXII.

Tyrocinium in Societate JESU Ven: Patris Thomæ.

ADvenerant dies, in quibus virtutis emeritæ Veteranus in ordinem tyronum redigeretur, & venerandus honore atq; canitie Pontifex repuerasceret inter adolescentulos religiosos. Ad hos ille dies, summâ animi contentione hactenus aspiraverat; hos sibi perpetuò solennes, hos beatos dicebat dies; dies quos fecit Dominus, in quibus sibi seni renasci datum esset; dies quibus benedixit Dominus; hos solos suos dies esse, alios quibus servivisset mundo, paucos fuisse ac malos. Testabatur ex abundantia cordis os loquens, quanti faceret dies istos, dum in ijs contritos laqueos, superatum infidum pelagus, relictam Ægyptum, svavi cum animi voluptate, ac affectûs teneritudine prædicaret, DEumq; benediceret, qui se de vanitate sæculi ad bravium supernæ vocationis adduxe-

 rit;

rit; pluris à se fieri diem unum in Societate Unigeniti Filij DEi, quàm longi temporis pontificatum. Testantur idem variæ ipsius ad diversos datæ epistolæ in quibus scribit se verba non invenire explicandæ spiritûs dulcedini, quam his diebus ei DEus infudit. Unæ paulò ab ingressu ejus datæ ad Clarissimum Dominum Laurentium Lemki Secretarium Ven: Capituli Varmiensis, suum intimum, de die 21 Junij anni 1677 sic loqvuntur. *Impossibile est explicatu, qua consolatione & gaudio repletus sim: quòd post tot difficultates & anfractus in eliberatione mei à sæculo à bonitate Divina tandem obtinuerim palmā, indutus vestem sanctam, & amplexus institutum S. Ignatij. Videor mihi jam prægustare illas felicitates, quas DEus præparavit diligentibus se.* Rursus in alijs ad eundem de die 18 Septembris anni 1678. *De me ipso*, inquit, *hoc Dominationi Vestræ significo: quòd & valetudo mihi serviat, vigorem habeam, vitaq; mea ad omnem contentationem in hac Sancta Societate agatur.* Similis tenoris erant

datæ

datæ ad alios; in unis equidem ad Perillustrem Dominum Ludovicum Fantoni Canonicum, Decanum Varmiensem ita loquitur: *Vivo hic cum enarrabili gustu meo in medio centum fratrum unius moris in domo, quorum cor unum & anima una, unum operum objectum, unus finis; & repletus inexplicabili gaudio experior, quòd servire DEo, regnare sit. Hic rerum caducarum cura nulla, nulla solicitudo, animi tranquillitas summa.* In alijs autem ad Illustrissimum Theodorum à Schlieben Sacri Romani Imperij Comitem, Palatinum Livoniæ, sic habet; *Tantæ est apud me æstimationis Religio, quam ingreßus sum; ut si vel ipsum Supremi Pontificatûs, aut nescio cujus dignitatis fastigium mihi apponeretur; non tantùm non attingerem, sed ne intuerer quidem in ejus commutationem; & vel unius horæ spatio vitæ modernæ svavitatem delibare, quàm per annorum myriades totius orbis habenas moderari, eligerem: adeò svavis, adeò dulcis & copiosa est DEi Servitus. Nemo nisi qui probavit, nôße potest; nemo nisi qui gustavit,*

quàm jucunda ſit, dicere poteſt . Epiſcopum poſuit Ujeyſcius Chondzini (prædium eſt domûs Probationis Vilnenſis, non ita pridem Moſcho Vilnam tenente, ſedes tyrocinij) ac Religioſum induit, nolens inter tyrones adferre Præſulem; qui ſicut ipſe ſe cenſebat, ſic cenſeri optabat, infimum ab omnibus. Vilnam deinde ampliſſimo Prælatorum occurſu, quem prævertere non potuit, ingreſſus, fit pro DEo parvulus, & Chriſti parvulis adſcribitur. Sacris deinde S. P. N. exercitijs (quæ quotannis, etiam Epiſcopus, Magiſtro Spiritûs Confeſſario è Societate JESU, in ſuo palatio, aut domo aliqua Societatis, ſubinde etiam pluries per annum recolere ſolitus fuerat) ita ſeipſum excoluit, quaſi nunc primùm ſolidarum rudimenta virtutum ediſcenda fuiſſent. Sanctitatem quantumvis præmaturam in Religionem intuliſſet, peccatorem ſe, ac terreſtrium Angelorum conſortio indignum, dictitabat. Subductis quotidie calculis, diligenter obſervabat: qua ſui parte melior factus eſſet; inventuſq;

ventusq; est à morte ejus benè longus catalogus, manu illius exaratus, in quem per dies singulos à primo in tyrocinium ingressu, referebat suos in via DEi profectus, juxta normam traditã à S. Ignatio; creditumq; est: nullum sibi sine linea diem elabi passum fuisse, quin tam sanctam suomet in judicio de se ipso iniisset rationem. Minimarum rerum adeò diligens erat observator; ut omnibus admirationi esset, quomodo homo senio gravis, ac nunc tantùm sæculo elapsus, nulli in exactissima omniũ observatione cederet, quantumvis juveni, qui sæculum hoc ignorâsset potiùs, quàm reliquisset. Apponebant ei Superiores initio Probationis ad communes cibos aliquid super mensam, quod judicabant provectæ ejus ætati, ac ut rebantur, ad tam inconditos cibos non assvetæ, esse necessarium: sed frequens viri deprecatio, & uberes lacrymæ nolentis quidquam ab alijs singulare, impetrarunt ab ijsdem Superioribus: ut ne ampliùs molesti essent appositione eduliorum
 ei,

ei, qui & in communibus cibis abſtinentiam & mortificationem ſciret invenire. Cum tyronibus tyroni quoties loqui contingeret, ita dulciter agebat: ut omnes ab ejus penderent ore, ac pro oraculis haberent, quæ homo venerabilis ætate, ac ſanctitate in medium proferret: ipſe rurſus ſingulos, quantumvis heri nati Religioni, prætextã vix exuiſſent, ita avidè audiebat balbutientes de Divinis, ut totus abſorberetur, auditus aliquando poſt ſimile colloquium dicere Superiori: *O beatam talem cum parvulis converſationem! quis credidiſſet tantas eſſe delicias, cum tyrones Societatis de DEo balbutiunt? credat mihi, Pater, cor mihi præ gaudio ſubſilit, cum infantes iſti de Divinis agunt.* Accedentes ad ſe quantumvis minimos, aperto ſemper audiebat capite, ſiquidẽ illi ſuũ ad inſtantiam illius operire vererentur, ac tam ſvaviter expediebat, ut pleni voluptate recederent, qui ad eum acceſſiſſent. Beatos imprimis dicebat parvulos, qui florem juventutis ac fructus primævos immolârint Altiſſimo,

non

non ſicut ipſe ſenectute marcidos ac deciduos obtulerit; illos ætatem ad omne bonum flexibilem, ſe corpus effœtum & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia convertiſſe. Veteranos tyro tantâ colebat obſervantiâ, ut non modò priorem eis locum cedere, ſed in quo ejus egerent obſequio in ferenda ad ablutionem manuum aqua, verrendis cubiculis, aliiſq; neceſſitatibus ſolicitè inquireret. Deniq; ita in tyrocinio ſuo egit Ven: P. Thomas: ut omnes virum in eo ſanctum ſuſpicerent, ac ſibi ad exemplar, quod imitarentur, gauderent propoſitum, ſolo eo in oculis ſuis vili, alioſq; omnes præ ſe peccatore pluris faciente.

CAPUT XXXIII.

Profeſſionem ſolemnem quatuor votorum emittit.

HAbet hoc præ cæteris Ordinibus religioſis Societas JESU in more: ut tyrones ſuos, priuſquam eos ſacro

votorum nexu, reliquo corpori illiget, integrum biennium multiplici probatione periclitetur, an idoneos & fideles proximorum administros agere valeant. Rursus adlectos post biennium per emissionem votorum in Societatem longo per plures annos experimento probat, antequam eos ad stabilem aliquem admittat gradum, relictâ nihilominus Præposito Generali potestate; ut in raro aliquo casu tempora breviare, aut juxta exigentiam rei prolongare possit. Et ita defacto fecit Præpositus Generalis cum P. Thoma nostro. Solo enim tempore, præscripto à Tridentino, elapso, eum ad prima vota, ac statim ad Professionem solemnem quatuor votorum admisit, stupentem ea fieri secum primo, quæ in Provincia hac nunquam facta fuerant. Parabat quidem excusatorias vir humilis, nihil supra reliquos singulare admittere cogitans: sed has impedivit Præposit9. Prov. monens: inania hæc effugia, ac non necessarias fore turbationes, adesse tempus subdendi colla obedientiæ,

tiæ, illud, quod unum per tot tempora quæsivisset. Quare dicto obaudiens, pro excusatoriis, gratiarum actorias dat ad Admodum Reverendum P. nostrum Joannem Paulum Olivam his omninò verbis:

„ Ergone placuit Admodum Reverendæ Paternitati Vestræ tyronem unum, tyrocinij spatia nondum emensum accensere statim illi Veteranorum classi, quæ Sanctæ Societatis pars est princeps & maximè nobilis? Memini, me apud optimum ex Ordine nostro Scriptorem legisse; votorum quatuor Professum non esse fusilem laborem, sed lentum & diuturnum, quo is in virum doctum & virtute præstantem excuditur. Egone tam felicem sortitus sim artificis manum, ut post bissenos duntaxat religiosarum periclitationum menses, ex officina Tyrocinij tam citò elaboratum prodeam opus? Sanè cùm conscientiam interrogo meam; habeatne virtutis ac scientiæ tantùm, quantùm ad Professionis mensuram Religio jure desiderat? recogno-

,,gnoscit illa, plus satis mihi futurum ,,fuisse, si vel in secundo à Professio- ,,ne gradu consisterem. Sed quia visum ,,est Paternitati Vestræ ad exemplum ,,Opificis DEi, hoc qualecunq, figmen- ,,tum ex nihilo producere, obluctari ,,illi fas mihi esse non duxi, cujus nutui ,,obsecundare etiam in arduis & abje- ,,ctis promptissimam gerere debeo vo- ,,luntatem. Accepto quocirca tam in- ,,signem à Vestra Paternitate gratiam, ,,non ita pridem à Reverendo P. Pro- ,,vinciali mihi, tametsi immerito, dela- ,,tam; cujus quidem vivax apud me ,,extabit memoria, cæterùm non absq; ,,jugi pudore, quòd postremis hisce, ,,quos in Societatem intuli, annis nihil a- ,,cturus sim tam sublimi gradui sup- ,,par, nihil tanto munere dignum. *Ha-* ,,*ctenus Pater Thomas.*

Cæterùm consveta Societatis experimenta singulari cum dulcedine ac gustu præmisit Professioni suæ, exultans de oblata sibi occasione abnegationis propriæ ac humiliationis sui. Et quidem primùm confusioni suæ majori,

ri, benè longum ſcripto complexus eſt catalogum defectuum ſuorum, ſuper publicam menſam ſibi exprobrandorum (Confeſſionem novam Auguſtini diceres) in quo ſe hominem nullius frugi, indignum ob delicta ſua, quem terra tot Sanctorum pedibus calcata ferret, ſuperari ſe in virtute ab heri nato novitio, & id genus alia, quorum plura, quòd nimium ſaperent ſui confundendi ſtudium, expuncta ſunt Superiorum mandato. Reſpondit tamen affatim voto ejus confuſio eo tempore, quo mendicus, projectâ in tergũ manticâ, factus eſt pro Chriſto. Tunc enim catervatim de trivio viliſſimi, qui depoſito ab eo Epiſcopatu audierant, ad videndum ex Epiſcopo, Regniq; Senatore, mendicum accurrere; turba laudare in eo humilitatem, ac ſanctitatem, rudis popellus digito monſtrare, dicereq; : hic eſt ille Sanctus Præſul, hic ille Pater pauperum, hic illa Reip. columna: accurrebant ipſi adeò mendici, dividentes cum illo portionem, quæ ſibi de micis cadentibus è menſa Dominorum

minorum obtigerat; aderant, quæ, venum exponunt pulpamenta, fæmellæ; præstò erant ipsæ, quas ad licitandum hodiernæ diei edulium ad fori custodiam damnavit egestas, mulieres, aciculas suas effundentes in manticam, pultes aliæ ac filamenta, salem aliæ ac nuces sylvestres, aliæ plura ejusmodi minuta; quæ quia offerebantur cum panegyri mendicantis, mirum quantum erubescere fecerunt P. Thomam. Plus nihilominus confusionis illi creavit humanitas Illustrissimi D. Nicolai Słupski Episcopi Gratianopolitani, qui dum sic mendicabuli manticâ instructum videret P. Thomam, se ad ejus pedes osculandos projecit dicens: honore neminem esse digniorem eo, qui pro Christo vilis factus esset. Quæ res eâ verecundiâ opplevit mendicum Christi; ut non faciem modò operiret confusio, sed & lingvam stupor interciperet, unumq; id permitteret loqui: *Non debuit mihi hoc facere Illustrißima Dominatio.* Completis his aliisq; experimentis, emisit Professionem

quatuor votorum in templo domûs Professæ Vilnensis, ærâ Christianâ post millesimam sexcentesimam septuagesimâ octavâ, die decimâ Julij, quæ tunc in Dominicam à Pentecoste septimam inciderat, idq; in ipsum tempus Congregationis Provincialis. Confluxerat ad tam raræ pietatis actum, præter nostros, conferta hominum multitudo, unà cum Illustrissimo Domino Michaële Pac, Exercituum Magni Ducatûs Litvaniæ Duce, Palatino Vilnensi, aliisq; viris Senatorij Ordinis, pias non tenentium lacrymas, cùm virum non ita pridem præcipuæ in Ecclesia ac Republica dignitatis, Religiosæ servituti sese ex animo devoventem audirent, atq; viderent.

CAPUT XXXIV.

Paupertas Ven: P. Thomæ.

FActus pro Christo pauper voluntarius Ujeyscius in Religione, qui pauperem Christum in sæculo lautè habuerat; ne de genere Nominalium

esset

esset pauperum, qui de re ipsa nihil habent, allaboravit. Reliquerant ejus dispositioni ad primum in Societatem ingressum reculas quaspiam Superiores, quas quidem cum bona eorundem toties quoties obtentâ veniâ ita dispensavit; ut intra parvum tempus nihil, quod amplius dare posset, superesset. Monuerat interim eum aliquis: ut parciorem sese exhiberet, ac manu, ut ajunt, non corbe sereret, etiam crastinum diem mendicaturum opem ejus, & forsan magis futurum opis indigum: cui monitori hæc Pater reddidit: Velletisne Frater Optime, ut apud me morientem aliquid ejusmodi Diabolus inveniat? Charitas Superiorũ imperfectioni meæ subveniendo, permittit tantisper hæc futilia à me haberi, quia omnia simul me posse ponere diffidit; meum est, quàm possum citissimè me iis extricare. Dabo servis Christi, dabo pauperibus, quæ de licentia Superiorum possum expendere, ut celeriùs sim nudus, nudo & pauperi DEo similior. Cùmq; alter posse aliqua servari, in futurum personæ

næ propriæ uſum, diceret, quòd domus noſtræ ſæpe egeant etiam neceſſariis: riſit Pater hominis ſimplicitatem monuitq;: paupertatem eſſe matrem ſuam, juxta mentem S. P. N. volentis diligi eam ut Matrem; eſſeq; eam ex maximis virtutibus unam, idq; talem, cui primas inter beatudines aſſignarit Salvator. Si autem virtus eſt, perfectionem ejus debere conſiſtere in actione, actionem autem virtutis eſſe experimentum ejus; cogitaret proinde, qualis eſſet paupertatis profeſſio, quam nulla ſequeretur experientia. Quanquam & illud ſibi eſſe certum; habiturum ſe omnem ſufficientiam, ſi habuerit paupertatem; nam veritas domini juſtificatur in ſermonibus ſuis, quæ dicit: *Jacta cogitatum tuum in domino, & ipſe te enutriet.* Singulare quiddam præ alijs non tantùm non admiſit unquam; ſed ijs etiam, quæ viliſſima domi erant, contentus, orabat impensè ſubſtitutos officiales; ut ne pro ſe eligerent meliora, ſed ea potius ſibi ad uſum darent, quæ homini pœnitentiam agenti magis

gis essent opportuna. Mirabatur rei vestiariæ præfectus, quî fieret, quòd interiorem amictum nunquam reficiendum daret? cùmq; semel & iterum non modico interjecto intervallo de ijs sciscitatus, semper bona esse audijsset; observandum ratus, quemnam in ijs reficiendis adhiberet sartorem; facileq; deprehendit ex prostantibus malè sartorum tibialium filamentis hodie veteramentarium, qui non ita pridem Episcopus erat, maximè cum allatis novis indumentis, expositâq; superiorum voluntate, antiqua solis prope centonibus constantia, afferret. Novit nimirum humilis Pater nullis splendoribus melius ornari pauperem Christi, quàm ejusmodi malè sartis centonibus, religiosumq; tegumenta non ornamenta quærere debere; eosq; parum de spiritu habere sanctæ paupertatis, quos inquieta ac solicita sensualitas respicere facit ad ornatum, non ad necessitatem. Et hinc etiam est, quod in refectione sua corporali, alimenta non oblectamenta quæsiverit, cibisq; illis semper conten-

tus vixerit, qui comestibiles essent, non autem concupiscibiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua. Specialem tamen gustum habuit in rejectamentis mensæ, semesisq; ejus reliquijs, paupertati suæ dictitans optimè provideri de micis cadentibus à mensa pauperum Christi. Pro re minima, ac quæ nec pede, ut ajunt, tangi merebatur, humiliabat se P. Thomas coram superiore, petebatq; humiliter concedi suæ necessitati usum illius, nec unquam ab ullo oblatum aliquid, quantumvis vile, accipiebat, aut dabat ipse, nisi superior conscius consensum præstitisset. Mittebātur ejus identidem recreandæ valetudini fomenta aliqua ab amicis tum alijs, tum præsertim à supranominato R: D. Laurentio Lemki, conscio necessitatum ejus; sed omnia hæc gratè accepta consignabat in manus P. Ministri, dividenda in communem usum, etiam cum Præpositum domus Professæ ageret; nec de ijs ullam amplius mentionem faciebat, donec suboleret res ministrum domûs, ac dein clarius de-

prehenderet, ejusmodi fomentis indigere eas, quas ipſe tacitus celabat affectiones. Sed neq; ſic obtineri potuit, ut ſimilia ſibi ſervaret, priuſquam Provincialis, cui ſanitas Viri cordi erat, accederet authoritas.

CAPUT XXXV.

Caſtitas Ven: P. Thomæ.

QUanti hanc virtutum gemmam fecerit Ven. P. Thomas, manifeſtum eſt omnibus, qui vel modicam ejus notitiam habuerunt. Votum ab eo perpetuæ caſtitatis in prima ſtatim ætate emiſſum, ac ex motivo illius tuendæ, ſuſceptum habitum clericalem, diximus ſupra. Illibatam ad uſq; ſupremum ſpiritum ſervaſſe, conſtans eſt opinio. In curia certè ejus Epiſcopali nihil huic virtuti, aut videri, aut audiri adverſi unquam debuit. Sibi enim ſuiſq; ſervandam propoſuerat doctrinam illam Apoſtoli exhortantis Timotheum: *Eſto exemplum fidelium in caſtitate, ut vel ex te uno diſcant, quàm purè & integrè vi-*

ven-

vendum sit. Tales enim, ait Augustinus, *decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpătur, sed potius continentià castitatis splendeant, & totius honestatis fulgeant in populo exemplo.* Sermonum etiam coram eo tanta erat castigatio: ut nemo verbulum auderet proferre, quod vel longissimè oleret libidinem: in comprimenda eorum audacia imprimis rigidus ac acer erat, qui, exemplo venena sacchard tegentium, politicâ dictione Cupidinem celabant: abire eos jubebat ad volutabrum luti cum ejusmodi spurcitijs, & ad societatem eorum, qui essent Epicuri de grege porci. Famulos obscæni oris; aliosq; quoslibet de impuritate notatos, perpetuâ lege domo suâ interdixit, nolens habere eos inter servos suos, qui essent Veneris mancipia, eos autem, quos ab obsequijs habere ei contingebat, ea lege admittebat, ut cavendæ etiam suspicioni omnis impuritatis providerent, ne primis à tenebris pedem domo efferrent. Ab eorum ipse conversatione prorsus abstinebat, quibus

aut pronum ad licentiam ingenium, aut lubrica loquendi inordita facilitas esset. Picturas, quantumvis raræ essent artis, si quid indecorum præseferrent, aut adhibito penicillo emendari faciebat, aut si id minus commodè fieri posset, Vulcano consecrabat, malens perire pretia tabularum, quàm animarum. Nuditatem cumprimis in imaginibus, ipsius adeò pueruli JESU in sinu Matris, aversabatur. Contigit Frauenburgi, ut casu in objectum parum verecundum incideret: consternatus, illico caput totum togâ obvolvit, atq; è conspectu suorum in adjacentia fruteta profugit. Tangi se nuda alterius manu, nunquàm permisit. Gravi dolore stomachi laborabat; cùm non nemo leniendo dolori oblato balsamo, svasisset; calente manu famuli ungendum esse ventriculum; cui Episcopus: Non famulus, ait, hoc faciet, ego ipse, si res unctione opus habet, mihimet hoc præstabo obsequium; & siquidem ipse non suffecero, malo tantulum pati dolorem, quàm ut nudum me aliquis contingat. In supre-
mo

mo, quo decessit, morbo gravissimè obtestatus est infirmorum curatorem: oculum intenderet, ne quâ alienati à sensibus sui partem nudam conspici pateretur, multoq; magis postquam è vivis excesserit. Si quando cum altero sexu ei agendum erat, summa id celeritate expediebat; nec prius in conspectum admittebat, quàm plures testes agendorum adessent; aut si arbitros plures exigentia rei excluderet, saltem prælatus domesticus, vir omni exceptione major, aut qui ei à confessionibus erat, adesse debebat. Suum ad conclave aut mensam, nullam unquam admisit mulierem; quòd periculosum putârit paleam igni conjungi; vel quòd occasionem dare noluerit scandalis pusillorum, ac lingvis malevolorum, quæ ad talem occasionem non secus ac ad cotem acuuntur. In societate degens, quoties eum, pro officio suo adire contingeret domos externorum, socium monebat; ut ne se à matronis ullis venerationis causa prociduis, uspiam tangi permitteret, sed interpositione cor-

poris sui, impediret molestas à sequiore sexu ipsarum etiam vestium contrectationes. Et hæc cautela in omni vita P. Thomæ erat pro muro contra omne, quod vel speciem impuritatis alicujus habere poterat, effecitq; : ut inter homines hac in parte nihil pateretur humanum.

CAPUT XXXVI.

Obedientia Religiosa.

ADlectus in societatem Ven. P. Thomas, hanc virtutem, quæ societatis quasi nota & character est, ita reliquis virtutibus addidit, ut inter omnes facile primas ferret. Superiores, & qui ab ijs autoritatem aliquam acceperant, adeò studiosè coluit; ut levissimos nutus, & quidquid nutu decrevissent, integerrimè accuratissimèq; servârit. Parvitatem materiæ nolebat dari in obedientia sua, sicut non datur in castitate. Unde maximè studiosus erat servandorum omnium apicum obedientiæ & regularum, tenens memoriâ illud Bern.

In

In difficultatibꝰ obedientia gratior, quia gravior prævaricatio judicatur: in facilioribꝰ contēptꝰ dānabilior quoniā actꝰ laudabilior. Quod in homine tā provecto ætate pariter ac dignitate, tantò magis suspiciendū venit: quantò magis ij, qui multos numerant annos ætatis aut religionis, se decipi sinunt: ut existiment pueris heri vesté religiosâ donatis, non autem sibi, servandos esse hos apices. P. Thomas ad primum signum æris campani quasi à Christo vocaretur, accurrebat ad munia. Nullam unquam epistolam, icunculam aut quid simile dabat vel accipiebat, nisi prius superior conscius consensum præstitisset. Adjungebat se novitijs, humilitatis & corporalis exercitij gratiâ, coctos lapides cæmentarijs suppeditantibus; quod ubi Rectori domûs probationis innotuit, à labore seni, & tali, in competente, ablegatus est ad lapillos domestico ex horto legendos: Suscèpit promptus eum laborem obediens Pater pronusq; corpore in terram, animi submissione pronissima, tamdiu illum est prosecutus, donec Provincialem, fortu-

itò illuc delatum, gravis toties ſe ſe inclinantis ſenis moleſtia advertiſſet. Mox ſuperſedere juſſus, ad decorticanda olera pari voluntate ad culinam deſtinatus, conceſſit. Veri hoc obedientis ſignum erat. Hic enim non examinat mandatum, ſed paret; nec excuſat præceptorum formas aſperas & acerbas, exemplo Abrahæ, non allegantis in immolatione filij crudelitatem ſuam, aut in circumciſione verecundiam; imo exemplo ipſius Filij DEi, qui cum eſſet obediens uſq; ad mortem crucis, tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, non aperiens os ſuum. Senio gravi P. Thomæ additus fuerat unus e Coadjutoribus, qui ei eſſet ab obſequijs: hunc ille non aliter, ac ſuum S. Franciſcus Borgia Marcum, obſervabat, ad ejus nutum omnem voluntatem ſuam temperabat, nec aliter habebat illum, quàm ſibi datum a DEo ſuperiorem, qui tamen valetudinis causâ ſolùm aſſignatus fuerat. Rogatus aliquando: ut, cùm eſſet debilior viribus, tantiſper à pulſu excitantis campanæ quieſceret, reſpondit:
diſci-

diſciplinam religioſam eſſe commune jugum Chriſti, ideoq; ſibi illud eſſe dulce: non obſtituras ſibi etiam ardentiſſimas febres, quin ſi ſurgere non poſſet, ſaltem capitis arrectione promptum ad communem obſervantiam cor teſtaretur: quodſi in aliquo á communi diſciplina eximeretur; vereri ſe, ne in ſe cadat illud improperium Apoſtoli Hebr. 12 *Quodſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes ſunt omnes: ergo adulteri & non filij eſtis*. Negotia ſua non niſi ex præſcripto Superiorum obibat, nec raró pro ijs exequendis ſpeciale ſibi præceptum imponi orabat; ut ita actioni accreſceret ab obedientia meritum, dicereq; poſſet illud Iephte: *Aperui os meum ad dominum, & aliter facere non potero*. Neq; hoc ſolùm egit dum inter nos voto obedientiæ ligatus verſaretur; Epiſcopus adhuc, ac Regni Senator, ad præſcriptum eorum, qui ſibi á ſacro tribunali erant, actiones ordinabat; cùm his ſicut in dies conſcientiæ ſuæ rationes componebat, ita de agendis conſilia, quæ ſibi pro imperio eſſent, accipiebat, nec

rarò eoſdem ſolicitabat; juberent ac mandarent ſibi facienda, obéditurum ad nutum ijs,quos ejus loco agnoſceret ac veneraretur, qui pro ſalute noſtra factꝰ eſt obediens uſq; ad mortem. Et ne ſolùm verba judicarentur hæc qualia paſſim peti ſolent ex Rhetorica politicorum, aut etiam ſolæ piæ affectiones: multis interpoſitis precibus identidem eoſdem angariabat eo uſq; ad proponendum ſibi aliquid ſub præcepto Obedientiæ, donec iſti compoſitis in quandam quaſi jubentis ſpeciem verbis, deſiderio illius ſatisfacerent.

CAPUT XXXVII.

Fit Præpoſitus domûs Profeſſæ.

NOn multum ab emiſſâ profeſſione quatuor votorum temporis effluxerat: cùm Adm Rndus P. Noſter Carolus de Noyelle habitâ ratione conſummatæ virtutis Ven: P. Thomæ curam ei domûs Profeſſæ Vilnenſis demandat, cum omnium quidem gratulatione, ſolius autem P. Thomæ ſe prope

pè adhuc tyronem judicantis tanto impar em muneri, rubore. Suscepit tamen, ut suus Obedientiæ esset locus, officium; verùm postliminiò diffidens, has ad P. Generalem dedit excusatorias:

„ *Admodum Reverende in Christo Pater.*

„ Placuit Admodum Reverendæ Paternitati Vestræ munus Præpositi hujus domûs Professæ in me conjicere: quod quidem ego eâ qua debui (si unquam) cœcâ obedientiâ subij; cæterùm firmâ spe fretus, quòd quanto promptius imbecillitatem meam in obsequium hujus sanctæ virtutis coëgi, tantò certiùs efficacem miserentis super me Patris indulgentiam sim consecuturus. Candidè & sincerè secundùm DEum indignis meis precibus invocatum, tanquam Patri, quem loco DEi habeo, aperio: me huic muneri imparem esse. Istis enim potissimùm annis, qui septuagesimum excessere, magna senectutis experior incommoda. Nam præter virium in ipsa etiam quiete lassitudinem, morbi

„bi frequentiores crebrius me in lecto
„habent, & interdum diutius tenent;
„caput langvores occupant, memoria
„deficit, & oculi. Talia ſymptomata
„an regimini conveniant Adm Reve-
„renda Paternitas Veſtra de ſuo altiſſi-
„mo ſenſu judicare dignabitur. Illud
„etiam ingenuè fateor, me non habe-
„re ea talenta, quæ in ſuperiore inſti-
„tutum Societatis requirit. Non enim
„ea mihi eſt Conſtitutionum, Ordina-
„tionum cæterorumq; bonæ admini-
„ſtrationis adminiculorum notitia, quam
„munus Superioris requirit. Etſi enim
„hiſce paucis annis legendo inſtituto
„aliquantum incubui, totus tamen is
„labor, privatæ duntaxat in Societate
„(ſub aliorum obedientia) agendæ &
„ponendæ vitæ fuit: quæ verò regimē
„concernerent, tanquam à me futura
„aliena, miſſa feci: ſed nec aliquando
„gubernandi in Societate praxim ha-
„bui, nec hiſce paucis annis tantum in
„ſpiritu profeci, ut alios in via perfe-
„ctionis dirigere poſſim. Accedit quòd
„præpoſituræ ſit annexus Conſultora-

tus

,tus Provinciæ; ad quod forum diffici-
,lia ex tota provincia devolvuntur ne-
,gotia, ex ſenſu Inſtituti & Canonum
,reſolvenda. Et quomodo ſine horum
,ſufficienti peritia illis me ingeram, niſi
,aut metu ignorantiæ inutiliter mutus
,ſim, aut temerè loqui velim: quod ſa-
,ne utrumq; nec pro muneris dignitate,
,nec pro mea eſſet ſecuritate. Inſuper
,domus profeſſa Vilnenſis locus eſt, ad
,quem Proceres Magni Ducatûs Litva-
,niæ tractandorum publicorum nego-
,tiorum, vel inter ſe complanandarum
,diſſenſionum causâ ſæpius conveniunt;
,hi verò pro dignitate debent ſuſcipi,
,honorari, interdum conſiliis juvari, &
,id ſibi officii per ſuperiorem præſtari
,volunt; fieriq; interdum expedit, ut
,benefactorum pro domo paupere be-
,nevolentiâ & gratiâ concilientur. Et
,hæc ſunt quæ me a ſuſcipiendo officio
,deterrebant, & recurſum cum infor-
,matione de ejuſmodi inhabilitate mea
,ad Veſtram Admodum Reverendam
,Paternitatem ſvadebant. Non tamen
,recurrendum citius exiſtimavi, quàm
toto

,toto fere trimeſtri explorata virium
,mearum capacitate, & benè perſpectò,
,maximè mihi futuram impedimento.
,Siſto me itaq; & paternis pedibus advo-
,lutus omni, qua poſſum contentione
,ſupplex oro, ut quem tanto honore
,citra omne meritum Admodum Re-
,verenda Paternitas dignata eſt, ab e-
,jus onere liberum & abſolutum eſſe
,velit, atq; non judicare quenquam &
,regere; ſed ſub arbitrio & ductu Su-
,periorum me ad futurũ judicium appa-
,rare benignè permittat. Grande hoc
,beneficium magnam mihi obligatio-
,nem quo ad vivam, pro A. R. Pater-
,nitate veſtra, & ipſius feliciſſimis in tam
,ſublimi regimine ſucceſſibus DEum de-
,precandi imponet. Rndus Pater La-
,dislaus Rudzinski ſi de mea omnige-
,na tanti muneris incapacitate Admo-
,dum Rndam Paternitatem informare
,dignabitur, magnum addet momen-
,tum obtinendæ paternæ gratiæ: cui
,me etiam & ſanctiſſimis Sacrificijs im-
,pensè commendo. Vilnâ ex domo
, profeſſa die 30 Aprilis 1683.

Ad

,Adm Rndæ P. V. indignus in Christo
, Filius & inutilis Servus.
, *Thomas Ujeyski Soc. JESV.*

Non habuerunt tamen literæ tam humiles pondus aliud, nisi quod Pater Generalis se rationibus ejus magis confirmatum diceret, ut istam virtutem omnibus nostris præpositam vellet, quæ satis superq; optimæ administrationis rationes adimplebit. Quod autem attinet vires corporis, speranda esse ab eo auxilia, qui virtutem in infirmitate perficit; in reliquo, si etiam lecto affixç hæreret, habere se hanc de eo opinionem; quod plus boni allaturum sit regimen ejus, quàm plurium vegetæ valetudinis esset allaturum. Gubernavit ergo, domum hanc cum munere præpositi quinquennio, gratus omnibus ob suavitatem, prudentiam ac sanctitatē, non sine eximio subditorum profectu, atq; animorum satisfactione; gubernassetq; diutius; nisi lachrymarum ejus ab imposito munere liberari cupientium, ac vitæ in finem vergentis habendam esse rationem duxisset Adm. Rndus.

P

P. Thyrſus Gonzalez electus Generalis, accedente informatione P. Provincialis Litvaniæ tunc Romæ præſentis, qui in datis ad Patrem Thomam anno 1687 die 9 Auguſti ſatisfacturum ſe ejus deſiderio ſcribit, conceſſurumq; poteſtatem reliqvum vitæ in domo probationis tranſigendi, ut primùm Provincialis ab electione redierit in Provinciam. Cæterùm in officio illo inter egregias alias virtutes mirum quantum in eo charitas enituit, æſtuabat paternum cor ardore virtutis hujus erga bonum ſibi ſubjectorum, totuſq; diffluebat, cùm quis indigentiæ ſuæ remedium ab eo accepturus accederet. Quem ejus amorem conſiderantes ſubditi, crediderunt totum in cor abiiſſe, repetieruntq; non rarò de eo illud Eccleſiaſtici: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Difficilè explicatu eſt, quantò ſingulos ſuſcipiebat affectu ac ſvavitate, quantaq; exinde in ſubditos conſolatio promanarit. Nullum tempus, negotium aut occupatio erat, cui non libenter valediceret, quando ad eum acceſſus fiebat, ſuperiorem di-

dicens debere esse sicut campanam, quæ ad omnem motum cum sono præstò est; aut sicut custodem portæ, qui ad quemvis pulsum re omni, quam præ manibus habet relictâ accurrere debet. Singulariter tamen hæc ejus charitas eluxit in cura infirmorum. His quippe recreandis ne quid deesset, vigilē adhibebat oculū; his ut adesset, unius noctis intervallo ter aliquando quaterq; è suo strato proripiebat sese, ut inde non modicam contraxerit ægritudinem, à qua vix excellentis medici cura convaluit: his deniq; erigendis paratum se ostendit, ultimum nummum impendere, exemplo S. Patriarchæ Ignatij, qui ultimos tres, quos domi habebat Iulios, expendi fecerat in bonum ægrorum. Erga pauperes suo hoc in officio eo ferebatur affectu: ut severū Janitori mandatum imposuerit; neminem à porta domûs mendicum dimitteret, cum quo panem pauperum non divideret. Hæc & alia plura per tempus regiminis sui, ejus erant decora; quod quidē licet ei perquam accidisset molestum, qui sub

esse, non præesse, elegisset: in hoc uno ei ad gustum fuit, quod sibi per obedientiã non aliud obtigisset munus, quàm ejus domûs regendæ, in qua de mendicatis sibi ac suis, vivendum esset. Destinatus fuerat sub tempus hujus sui regiminis à Patribus Congregatis Romam Elector, hoc tamen munus quin subiret, tum è judicio medicorum stetit, vetantium homini seni, eiq; viribus fracto tanti longinquitatem itineris; tum precibus deprecantis P. Thomæ, rationibusq; ejus, inter quas non postrema erat; quod Romæ pluribus Cardinalibus, alijsq; notæ magnæ viris cognitus, summam ab inani, quam in se derivandam prævideret, laude molestiam, mortesibi, qui elegerat abjectus esse in domo domini; esset habiturus duriorem. Deniq; ab eodem officio liberare quidem eum P. Carolus de Noyelle ad annum 1685, cogitabat; sed ut grandius onus imponeret totius Provinciæ regendæ: quod tamen precibus illius victus devolvit in alium, relicta P. Thomæ obligatione permanendi in officio Præpositi.

CA-

CAPUT XXXVIII.

Studium Orationis.

CUm dona DEi per orationē in nos derivari sciverit Ven. P. Thomas, affluentiusque in eos, qui familiarius prolixiusq; ei consveverint; ita illi se devoverat: ut spatia orandi, non tam horis, quam integris propemodum diebus ad clepsydram ferventissimi spiritûs metiri velle videretur. Meditationi Sacræ plures continenter horas impendebat, eâ constantiâ; ut nullus eum æstus negotiorum ab hac abstrahere potuerit. Contemplemur, ajebat, in terris magnalia DEi, discamusq; maturè, quod in æternum facturi sumus. Contemplatio DEi comprehensorum erit beatitudo: sit & nostra viatorum. Nescio an ille partem cum DEo habiturus sit, qui dum vivit, partem temporis cū DEo per orationem non dividit. Suffurari eum se sibi solitum fuisse media inter negotia diximus supra; ut uno aut altero quadrante disponeret animæ suæ rationes: quod quidem tempus ita totū

uni DEo consecrabat; ut nec Procerum accessione illud dimidiare voluerit, indignum ratus DEum relinquere, ut homo agat cum homine. Frauenburgi quantumvis propriam haberet curiam, elegit tamen sibi aliam parum commodam ob validissimos, quibus exposita est, ventos, hoc solo illicio; quod sita esset ad cornu Cathedralis Ecclesiæ, adeòq; percommoda ad frequentem DEi sub speciebus panis absconditi adorationem. Et testantur sacrosanctè hodie superstites ejus famuli, frequenter se eum per noctis tenebras præ foribus Ecclesiæ prostratum, effundentemq; animam suam coram Domino, reperisse. Hanc ipsam curiam quoties ingredi aut egredi opus habebat, priùs genu posito, Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum adorabat. Ad aras nullo non die operabatur; idq; tanta Religionis significatione, quantâ majorem primùm ad aram litans habere vix potest: fuit verò hæc Sacrificij tremendi oblatio quotidiana etiam per itinera ita ei constans; ut plura interdum milliaria Germanica

ad-

adderet, aut antelucana profectione præveniret, ne copiâ Sacrificij carere contingeret: cùmq; non nemo comes itineris, posse pluviosa tempestate omitti Missam diceret; extractum, quem sæpe voluebat, libellũ, & in hoc sententiam ex S. Bonav. lib. de Missa cap. 5. legendam homini obtulit: *Qui sacrum omittit, quando in ipso est, privat Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, & se ipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata.* Porrò quoties ægritudine pressus Missam dicere nequibat; optabat coram se in conclavi eam fieri, ut ita præsenti sub specierum velamine DEo affectus suos explicare, & hospitem domi suæ DEum adorare posset. Officium Divinum, aliasq;, quas plurimas sibi imposuerat preces, flexis in terra poplitibus etiam in senio persolvebat, indecorum ratus alio situ alloqui Dominum Dominantium quàm de genu: & licet hic situs orandi fes-

ſo frequenter parum commodus acci-
deret, continuabat tamen eundem cũ
heroica ſui victoria & virili incommo-
ditatis tolerantia. Teſtatum reliquit ſæ-
pe Adm R. D. Laurentius Lemki, quòd
cum ſemel cum Ven. Epiſcopo noſtro
genu flexo percurriſſet preces Canoni-
cas, abſolutis ijs, grande ulcus ſibi ſub
poplite obligandum dederit ſtupenti,
quomodo cum tali ulcere, quod alter
ne ſummo digito tangi permitteret, ge-
nua curvare potuerit. Novitiatum in-
greſſus impetravit à Superioribus locũ
devotioni ſuæ accommodum in tertia
domûs contignatione, è quo in princeps
altare, ac reconditorium Eucharisticum,
per feneſtellam ad dimidium laterem la-
tam & longam, pateret proſpectus. Hic
ille plures cum Domino horas ſolus a-
gere, hic cor effundere, hic agere ea,
quæ agunt, quorum converſatio in cæ-
lis eſt. Æger decumbebat; cùm ca-
nonico penſo perſolvendo, nimium fa-
tigari illum videns is, qui illi à confeſ-
ſionibus erat, monet: non eſſe obligati-
onem cum tanta ſui moleſtia, fatigati-
one

one ac periculo ſtatas preces dicendi, & ſiqua eſſet, facile in ea hoc rerum articulo, haberi poſſe diſpenſationem: ad quæ P. Thomas: *Permittat*, ait, *Paternitas Veſtra has me in ſenio DEo meo fundere preces, quas adhuc puer ſæcularis dixi Domino, nec ab ætate illa per tẽpus vitæ meæ unquam me omiſiſſe memini; periculum etiam majoris morbi inde non timeat; non permittet bonus DEUS obeſſe, quæ amore ejus facio.* Perſoluto penſo Canonico, alijsq; privatis, ac ſat prolixis precibus adeſſe jubebat per infirmitatem ephæbos ſuos, qui vel de ſpirituali libro divina legerent elatiore voce, vel de precatorio libello recitarent, affectus devotionis interius eliciente Epiſcopo. Erga Sacratiſſimam Domini Paſſionem ſingulari planè ferebatur affectu; hanc ille in dies recolere, ac meditari, hanc ruminandam commendare aliis, ſuoq; ad id exemplo inducere. In hunc finem a Michaële Rege Poloniarum imaginem Crucifixi, ſub tempus primi belli Svetici in Brunsbergenſi agro ab hæretico milite, triplici globo

trajectam, quæ mox largo manaverat sangvine, impetravit; ut in loco miraculi repositâ, populus fidelis ad amorem patientis DEi magis inflāmaretur. In eum finem fundavit Frauenburgi conciones per Quadragesimam, post quas, decantatâ passione Dominicâ, longus flagellantium sese numerus per oppidi templa duceretur, meditans mysteria DEi patientis, ac stigmata Domini corpori suo per voluntariam castigationē inurens. Jam verò quo pietatis sensu in DEi parentem ferebatur, explicatu difficile est. Hanc ille ut Dominā revereri, ut Matrem amare, ut Patronam ab ipsa infantia assiduus invocare solebat, de ea sermones suavissimos instituere, ejus extollere charismata, dignitatem prædicare, commendare beneficia. Sabbatha omnia ac vigilias festorum ejus strictissimo à pueris sacrabat jejunio, ac acri corporis verberatione; festa autem decurrebat sacrâ exemologesi ac epuli Eucharistici sumptione in prima ætate adeo constanter; ut meminisse non potuerit, se aliquem talium dierum sine isti-

istiusmodi pietatis exercitijs unquam sibi elabi, passum. Officium ejus parvũ ac corollam de genu dicebat quotidie, idq;non rarò profunda nocte, oppido fessus, cum ea per diem fas non fuisset persolvere per Reip. negotia; ducebatq; sibi religioni somno fatigata membra credere, priusquam suas Divæ Virgini laudes decantasset. Consimili pietatis affectu ferebatur in S. Josephum suum, ut ajebat, a juventute Patrem ac Patronum. Hunc ille non alio quam sui sancti nomine apellabat, ad hujus verationem tantâ teneritudine ac verborum suavitate suos alliciebat in tyrocinio sodales: ut multum in ijs affectum, ac insignem accenderit devotionem. Benè longus sanctorum aliorum à morte ejus repertus est catalogus, quos unâ cùm tutelari Angelo suo quotidiana pietate coluerat, ac in virtute imitandos sibi proposuerat; qui si manus meas non effugisset, multam hic mihi virtutum ejus materiam subministrasset.

CAPUT XXXIX.

Studium mortificationis.

SIcut nec ſine calore ignis, ſine radijs Sol: ita nec ſine voluntaria ſui afflictione ullus Sanctorum eſt. Vera Sanctitas radicatur in capite ſpinis coronato, reperiturque, non inter roſeta deliciarum, quibus immerguntur membra delicata, ſed inter flagella & opprobria crucis, apud eos, qui carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentijs ſuis. Quæ quidem res adeò certa eſt, ac tam frequentibus aſcetarum firmata oraculis: ut jam inter maximas veritatis Orthodoxæ habeatur, eum non pertinere ad Chriſtum, qui Chriſtum non induiſſet per voluntariam veteris ſui hominis crucifixionem; eum rurſus magis ſanctitatem Chriſti æmulari, qui per majorem ſui mortificationem configuratus morti & paſſioni ejus: altius ſibi characterem Chriſti impreſſiſſet. Non eget hæc maxima demonſtratione; certum quippe eſt, neminem ad Evangeli-

cæ

cæ ſanctimoniæ apicem perveniſſe, qui gradus crucis in corpore ſuo circumlatæ non aſcenderit. Novit hanc maximam Ven. P. Thomas, ideoq; animum incendit ſuum, ut ſe ſibi ſubacto, per voluntariam ſui afflictionem Chriſto ſimilior fieret. Victûs ejus parſimonia tanta fuit; ut ipſum inediâ veſci putares. Admittebat equidem cibos; ſed horum ipſorum varia tractatione, ſecando, intingendo, fallebat oculos accumbentium, velabatq; abſtinentiam ſuam. Quod ſi tamen per obſervatores libare cogeretur edulia; ijs ſumptis, quæ minus guſtui arriderent, relictiſq; clanculum ſapidioribus bolis, genium defraudabat. In plures anni dies pane arcto & aqua brevi jejunia producebat, ea religione; ut in ipſis etiam jejunijs eum quærere jejunium dixiſſes. Ita quippe modici victûs erat, ut ſæpè juraſſes, nihil ediſſe, cùm remotis menſis jam ſatur eſſet. Lege perpetua indixerat, primitias fructuum non guſtatas DEo largitori dimittere, eaſq; ut olim David aquas de ciſterna Bethlehem,

aut

aut ſuas innocens Abel primitias, Domino per ſui victoriam litare. Jam ſi opera pænalia, quibus ſæviendo in ſe, corpus atterebat, reſpicias; illa eũ egiſſe reperies ſancto in ſe motũ odio; quæ in hoſtem ſuum inveteratus animus non facile auderet. Corpus cilicijs ac ferreis cingebat catenis quarum aliquæ crebris ac acutis cuſpidibus plenæ, hactenus quà Frauenburgi inter loci Canonicos, quà alibi in domibus Religioſis aſſervantur. Fuit verò hoc genus edomandi corporis in ejuſmodi apud eum amoribus; ut non modò totos dies horrido tali cingulo aſperârit, ſed & noctes integras ſic torquatus egerit, indicans è re ſua futurum, ſi hoc baltheo pœnitentiæ præcinctum in occurſu ſuo Dominus eum inveniret. Nec primùm in domo compunctionis ſic hiſpidùm cingi cæpit; pridem ſub Epiſcopali trabea, & inter aulæ libertatem crudis his vinculis captivare conſveverat corpus ſuum, ut illud retineret in ſervitute Domini, ſubjectumq; teſtaretur inferiorem ſuum hominem

ho-

homini ſuperiori. Quæ quidem, dum ſenio fractus, per noctis quietem non poneret, verereturq; Provincialis ejusmodi cruda catenarum interpunctione periodum vitæ illius accelerandam; neceſſe habuit, his ejus ſeveriore admonitu obnunciare mortificationibus, vetarèq; ne hac alioquin pia, in ſe tyrannide neceſſariam quietem noctium interturbaret. Jacebat ſupremo, quo & occubuit exhauſtus morbo, Ven: Pater; cùm medicus in corpore ſemimortuo dirum obſervans cilicium moneret: parum congruere hoc dolorum augmentum doloribus mortis. Sed repoſuit Pater: *Sineret ſe peccatorem in cilicio & cinere mori.* Flagellis, quæ inter pretioſa cimelia per viam ſecum ferebat, adeò atrocem in modum in ſe deſæviebat; ut inter ſangvinis copioſi ſtillas pavimenta natarent. Quod quidē tum alias, tum Szczepankoviæ, paucis à conſecratione ejus in Epiſcopum, decurſis menſibus, obſervatum eſt, cùm poſt nocturnas, in templo, in quo orationis causâ ſe occludi juſſerat, vigilias

gilias, ad primam lucem, cruorem cultro è terra circum se (ne aliqua devotionis extarent vestigia) eradere, à suis deprehensus est. Gravis annis concubia surgebat nocte, ut se flagellis concideret; quod cùm frequentiùs eũ facere Frater tuendæ ejus sanitati additus, adverteret; admonuit de tota re Superiorem. Hic quo frænum injiceret efficaciùs, virtutem virtute expugnandam judicat. Mandat igitur Fratri; ut ad sonitum verberum, se pariter lecto proripiat, certamenq; cum flagellante se ineat, idq; toties, quoties sub nocturnas tenebras hæc verbera sonuissent, fore ratus; ut motus charitate erga fratrem modum ponat sanctæ in se sævitiei. Et cecidit quidem res feliciter: nam vix semel iterùmq; reddi à flagellis alienis Echo cœperat, cum abstinuit ab ictibus P. Thomas, malens placere DEo charitate fraterna, quam afflictione propria. Sed nec hoc diuturnum fuit, sub somnum quippe fratris, suspenso pede cubiculo egredi, ac in angulos domûs, aut templi

pli odæum concedere cœpit, ubi eò usq; habenas laxavit verberationibus, quoad oppidò fessus locum quietis repeteret. Factus Præpositus domûs Professæ, nihil de austeritate & numero plagarum remisit; quibus cùm inter insomnia, ac plurimas alias mortificationes corpus senile exhauriret; æqvũ judicarunt Consultores domûs, rem ad Admodum Reverendum Patrem Nostrum Carolum de Noyelle deferre, à quo per speciales hac super re datas anno 1686 de die 23 Martij, severè admonitus est; ut modum poneret mortificationibus ac vigilijs, atq; obsequiis infirmorum, servaretq; Provinciæ ac Societati utilem vitam. Somni fuit brevissimi, quem ipsum non raro nuda in humo aut assere, vel si per imbecillitatẽ mollius tractari debebat corpus, pelle in ursina recubans fugabat potiùs, quã conciliabat. Quid commemorem alia sui affligendi inventa? liquefactam ceram de candela corpore nudo excipere notatus est, digitos ad ignem torrere, aciculis profundè in carnem ada-

ctis

ctis se se cruentare, vel maximè, quando Sanctorum vitæ de more sibi prælegebantur, vel eas ipse legebat: cumq; non nemo suasisset, mitiora secum, reposuit, quod à Patre Nostro Claudio Aquaviva dictum audierat: Corpora nostra in ijs partibus plus de beatificis perfectionibus participatura, in quibus Christi causa amplius circumtulissent mortificationis. Alteri autem pariа consulenti, parcant, inquit, afflictionibus, qui innocentiam in Societatem intulissent; se flagitiosorum omnium flagitiosissimum, dum tempus est, tali sui vexatione debere peccata redimere, ac quæ lentè remisseq; egerat, expiare. Quid commemorem heroicam in morbis, quos quasi sensus expers esset, tolerabat, patientiam? quid aliunde incumbentes animi corporisq; molestias, quas DEi causâ & sui ipsius vincendi gratiâ hilaris devorabat? Unum alterumq; innuam, ex quo de reliquis quisq; judicium tulerit. Incurius Chyrurgus non modicam carnis particulam inter tondendũ

à

à mento ejus ferro propè avulſerat, conſternatuſq; caſu, ac quod diceret, non reperto; bono ſe animo eſſe debere audit à læſo, errorem nullâ aliâ re, quàm emplaſtro egere, quo reciſa caro rurſus ſuæ reſtituatur ſedi; ſtupente patientiam chyrurgo in illo, à quo promeritas incuriæ ſuæ reprehenſiones metuebat. Deflexerat aliquando ſecundùm morem ſuum in quandam Societatis domum viator, cùm ſub veſperũ hoſpitis pedes, de more abluturi, aquã inferunt miniſtri admodum fervidam, magiſq; ad cutem & carnem, quàm pulveres pedibus detrahendos accommodam. Immiſit tamen rogatu ſociorum, quid ageretur ignorantium, pedes in fervens hoc balneum, ſummâ patientiâ diſſimulato dolore Ven. Epiſcop9: donec Patrum quidã ſe ad ablutionẽ accingens exploraſſet quantas ei præparaſſet thermas indiſcreta charitas, & aquas affuſa frigida tẽperaſſet. Magis fortè ſtupendũ eſt, quod ſequitur. Cubicularius muribus perdendis à quopiam relictum arſenicũ, alumẽ ratus, inſperſerat cauterio perſic-

cando P. Thomæ; cujus venenosâ vi totum brachium inflammatum, adeò multam bimestris patientiæ ei occasionem, dedit; ut quantumvis crudelis dolor quietem illi omnem adimeret, ne verbulo quidem, aut contra incuriam cubicularij, aut contra vehementiam doloris, quasi alterius res ageretur, aut extra carnem esset, queri auditus fuerit, fatente medico: se tam raræ patientiæ virum sua sub cura nunquam habuisse.

CAPUT XL.

Studium humilitatis.

TAm altas hæc virtus radices egerat in animo Ven: P. Thomæ: ut nullus eam honor, nulla dignitas evellere unquam potuerit; quin ipse ei honor majoris demissionis occasio fuit, respectanti quàm longùm abesset ab ea dignitate, quā vile mendicabulum DEo in simplicitate serviens esset habiturum. Omnes ejus actiones, & verba, imò vultus ipse, ac ex-

exterior hominis compositio, humilitatem spirabant; sciebatq; constanti silentio tegere, quæcunq; æstimationem sui parere potuissent. Summus illi laudis humanæ despectus fuit. Hinc sicut ipse nunquam vel verbulo in commendationem gestorum suorum provolavit; ita semper genus illud hominum, qui lucrum habent ab adulatione & magnificatione fimbriarum domini, aversatus est. Vilis ipse in oculis suis ac abjectus, non aliter accipiebat gloriæ humanæ encomia; quàm avidus vanitatis soleat accipere convitia. Operam suam tenuibus atq; obscuris mortalium libentius, quàm claris commodabat; nullibiq; majore cum voluptate agebat, quàm inter abjecta mundi. Diximus supra de studio ejus erga pauperes Christi, quibus præter frequentes eleemosynas, quotannis magno affectu per sacratioris hebdomadæ ferias pedes abluens osculabatur, quosque sibi frequentes adhibebat commensales, & accumbentibus ipsemet ministrabat. Nosodochij Frauenburgensis per plures annos

curam habens, frequentiſſimâ viſitatione ſe egenis familiarem fecit, judicabaturq; omnia ex voluntate pauperũ agere, quæ circa bonum Noſodochij illius agebat: hos quippe, cum aliquis in eorum numerum legendus eſſet, in commune vocabat, ac ſuper admittendo cõſulebat; his aſſidebat ægris, cibumq; prælibans ingerebat, ac prope dixerim præmaſticabat, horum ille ſtrata vertebat, cubicula verrebat, nullaq; erat tam vilis occupatio, ad quam eorum bono ſe non demitteret; his deniq: de remedio tam corporis, quàm animæ ſummâ cum charitate providebat. Quæ quidem obſequia etiam alijs de trivio mendicis ita avidè ac humiliter exhibebat; ut in quandam quaſi confidentiam eorum aliqui cum illo deveniſſe judicati fuerint, dum per alios mandarent, ſignificandũ Epiſcopo: ſe hîc aut ibi decumbere, hac aut illâ preſſos neceſſitate, hoc aut illo remedio opus habere. Patuit hæc mendicorum confidentia ex literis eorundem datis ad P. Thomam jam religioſum, quibus petebatur; ut de vagis eorum

rum filijs inquireret, & de eorum apud opifices conversatione, alijsq; levissimi ponderis negotijs consulebatur. Et verò respondit vir humillimo tenerrimo affectu, factâ prius per se vel alios de commissis inquisitione, ad singula quarumvis literarum puncta, adjectis insuper verbis blandè compositis, humiliq; aliorum mendicabulorum, quæ de nomine singula exprimebat, salutatione, orationumq; ab ijs pro se peccatore, qui vicissim se memorem apud DEum eorum confitetur, postulatione. Et hac quidem erga egenos erat demissione: non minori erga domesticum famulitium ferebatur. Ægros mediastinos suos frequens invisebat ipse, accitis solicitè medicis curabat, solabatur, ac omni spe sublevabat, idq; tam constanter; ut non nemo aurigarum ejus Varsaviæ ab alijs ejusdem characteris in quæstionem vocatus, quid ex servitio suo lucri haberet? id unum reposuerit; hoc se præter exactam in tempore ab optimo Domino solutionem, habere; quòd certus sit, se si infirmitas, quantumvis

 tumvis

tumvis longiſſima ſibi ingrueret, Patrẽ habiturum in Domino, ſolicitum non minus de ſua, quàm propria ſalute. Par erga viliſſimos quoq; opifices erat af-fectus P. Thomæ; & illos enim omni reverentiæ ſignificatione proſequebatur, honore præveniebat, humili colebat veneratione: eos quidem ſi in curia ſua laborare contingeret, nullo modo ad lumen nocturnum laborare permittebat, ſed ſub crepuſculum veſpertinum accedens ipſe, ſervandos monebat oculos uxori ac filiis alendis, ſibi laborem eorum diurnum ſufficere. Jam ſi demiſſionem, quam erga Religiones ſacras præſetulit, explicare voluero, oppidò difficile mihi creavero negotium. Meminêre plurimi temporis, quo adhuc Epiſcopus & Senator Regni, Brunsbergæ & Varſaviæ in triclinijs Soc: noſtræ, poſtquã humi ſedens eſurialibus non nihil refectus eſſet cibis, omnium pedibus accidebat, dulciq; eos oſculo ſvaviabatur non ſine inſigni noſtrorum confuſione, ſuos ante pedes proſtratum videntium eum, qui

omnium opinione vir sanctus habebatur, primisq; regni ac Ecclesiæ dignitatibus fulgebat. Scivit nimirũ Ven. Præsul, quám verum sit illud D. Gregorij lib. 2. ep. 54 ad Joannem Ravennatem: *Nihil in Episcopali cervice splendidius fulget quàm humilitas:* & illud Scripturæ: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEo invenies gratiam.* Erga eos, quos, ut sibi essent a Confessionibus, impetraverat a Superioribus societatis, mirum quanto reverentis animi, ac submissionis arderet affectu; illorum nutu vivebat, illos ut DEi loco sibi datos venerabatur; illis, non modò cum intimos eis sinus ac recessus conscientiæ panderet, sed in obvijs quibusquè occasionibus advolvebatur, orans; permitti sibi tantulum etiam extimi obsequij, quod posset ac lubentissimè vellet impendere conscientiæ suæ arbitrs. Ab uno certè eorum accepimus, quòd primis statim ab aditu ejus diebus provolutus in genua per amorem DEi, & quidquid charum haberet, manantibus ubertim lacrymis,

orârit; procederet secum procul omni reverentiâ, ut cum homine minus frugi; ac salutis suæ incurio, verbis & monitis, adhortationibus & increpationibus, pænitentijs quantumvis gravissimis: velle se ut puerum ab ejus directione pendere ac corrigi. Et hæc tanta erat demissio Episcopi. Societatem ingressus, absolutum humilitatis exemplar fuit. Neminem, etiam minimum, aut conveniebat, aut convenientem excipiebat: quin illum detracto prior pileo, plenâ reverentis animi significatione veneraretur. Gratius ei nihil accidebat, quàm cùm ad oscula pedibus tyronum figenda à superioribus admittebatur, aut ad aliud genus religiosæ humilitatis: culinæ obsequijs, scutellarum ablutionibus, alijsq; vilioribus actionibus cum intimo animi gaudio se se applicabat; ac si quando illum superiores ab ijs abstinere vitæ provectioris ac fractæ ætatis respectu juberet; cũ lacrymis tã tamdiu orabat, quo ad miserati ejus copiam illi facerent sui deprimendi. Offendit eum concubia nocte P. Andreas

Domaiewicz, tunc Minifter domûs Probationis, fornacem calefactoris loco incendentem; offendit alter noctis pariter filentio præ foribus priùs Rectoris, tum & aliorum domefticorum in crucis modum proftratum; alter gradus per quos Novitiis ad commune fuum afceteriũ afcendendum erat, dulciter lambentem; Rector deniq; ipfe, cùm relatu domeftici coci didiciffet; vafa culinaria, quæ cubitum concedens reliquijs efculentorum fuffufa in poftridianam lucem tyronũ labori relinquere folitus fuerat, nocte concubia ab ignota manu frequenter mundari, ac fummo manè ad nitorem expolita exhiberi: Rector, inquam, ipfe rem fubodoratus, deprehendit navum in culina operarium, egregiè circa ollas denigratum, verecundèq; erubefcentem quòd deprehenfus effet. Auxit meritum & fplendorem virtutis, cùm ad nutum Rectoris volentis laboriofis modum poni vigilijs, ac rationem valetudinis penfi haberi, promptiffimam demiffioni addidit obedientiam. Præpofitum Profef-

ſorum agens, præ foribus domûs toto puerorum grege cingebatur, quos rudimentis fidei conſtantiſſima humilitate ac zelo imbuebat. Ibidem, ſi quando iter aliquod arripiendum erat, quod pedibus conficere nequiret, vili illud curriculo, reſidens incommodùm ad ſocij pedes, abſolvebat; quem curriculũ trahebat equus oppidò ſtrigoſus ac luridæ pellis, ſeſſorem inſuper habens ruſticana è barbarie quempiam, non ſine multo, ſuper tali triumphali curuli, ſolatio ſuo. Mutavit tamen poſtliminio hunc ſui triumphum in paulò commodiorem currum vir humilis, ubi Provincialis, ſic mandantis, autoritas obedientiam requiſiviſſet.

CAPUT XLI.

Studium & felicitas componendi partes diſſidentes.

EPiſcopum debere eſſe velut Angelum pacis tutelarem: docet Chriſtiana aſceſis. Ad eum enim pertinet cura impediendi ſchiſmatis, & litium dividentium ut hominem ab homine, ſic & hominem à DEo. Quam quidẽ ob-

obligatioem ejus adeò gravem esse docet glossa *in cap. unum orarium*, verbo *quoties: dist.* 24, ut si in pace procuranda remissior fuerit, mortiferæ labis apud DEum reus habeatur. Quod ipsum videtur colligi ex illo Exod. 28, ubi Pontifici non aliam quàm mortis pœnam comminatur Dominus, si sanctuarium ingressus, ante conspectum Domini compareret, non indutus tunicâ, è qua malogranata & aurea tintinnabula (pacis utrumq; symbolum) sonantia non penderent. Fuisse Ujeyscium in munere Episcopali bonum ejusmodi Angelum; innui suprà. Scissas quippe inter se partes tanta dexteritate non raro composuit, ut nulla ab internecinis odijs cicatrix remanserit; ita conjuratas in prælia, & mutuas cædes composuit mentes, ut nullus amor conjunctior optari posset. Petebatur passim a partibus, quæ se læsas putabant, causarum discretor & arbiter, uniusq; illius sententiæ velut oraculo, & æquissimæ rectitudinis amussi deferebatur. Qua quidem sua æquitate partem bo-

ni Angeli, Angeli annunciantis pacem, annunciantis bona, consecutus videtur, & partem contrariam parti ejus: de quo Sapiens Prov. 17: *semper iurgia quærit malus, Angelus crudelis mittetur contra eum:* factusq; est nuncius ante Dominum, per cujus manum delatum est ad sublime altare Domini in conspectu Divinæ Majestatis non unum placitum DEO sacrificium; illud inquam sacrificium, de quo Cyprianus: *Sacrificium*, ait, *DEO maius est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus S. plebs adunata.* Quia verò de compositione dissidiorum, facta per eum adhuc Præsulem, jam diximus, judicamusq; superfluum, cramben recoquere; ea solùm è cineribus reducere placet, quæ feliciter separatus à sæculo extinxit. Exarserant inter se occasione militis insolentiùs in bona Ecclesiæ sævientis Episcopus Vilnensis Nicolaus Pac, ac Palatinus Vilnensis, idemq; supremus Dux Exercituum Litvaniæ Michaël Pac; jamq; utrinq; fulmina non fatua

tua timebantur, quæ gravem ruinam secum latura essent. Ut primum tamen mutuo partium consensu vocatus est in arbitrum controversiæ P. Thomas, pace felicissimè incensis contra se animis persvasa, dissipavit hæc omnia dexteritate sua, mirantibus cunctis; tam facile extinctum prudentiâ unius Jesvitæ nocivum ignem, quē tot incentores discordiarum summa vi sufflamminassent. Longè difficilius illi negotium facessivit causa controversa Religiosorum Ordinis S. Basilij Magni, quos Unitos vocant, cum suo Metropolita: eam tamen, DEo adjutore, ad illum deduxit effectum, quē major DEi gloria requireret, Sancta Sedes Apostolica optaret, bonum ipsius Religionis exigeret. Prætendebat sibi jus Proto-Archimandritæ, seu Generalis Ordinis, Metropolita, ac cum hoc jure immediatam omnem subjectionem, ac dispositionem circa quasvis personas, bona, monasteria; negabat hoc illi jus Ordo, dicens: agnosci quidem ab Ordine supremum suæ Religionis

ligionis moderatorem Metropolitam, Protoarchymandritam tamen juxta ſtatuta Ordinis eligi debere unum de medio fratrum. Sic quippe haberi in prima Congregatione celebrata in Novogrodewice anno 1617 die 21 Julij, collatione 2da §. 3 ſub Sanctæ memoriæ Metropolita Velamino Rutſki, unū è monachis eligendum, qui internè & immediatè adminiſtret religionē, nullum aliud ſuſtinens onus, quò commodius monaſteria obeat, & ordini tam in Præſidibus, quàm in fratribus attendat; & hic vocandus Protoarchimandrita. Quamvis verò hoc officium delatum aliquando fuiſſet Metropolitis, ut Antonio Sielawa anno 1642 in Congregatione Vilnenſi, Gabrieli Kolenda in Breſtenſi anno 1667, Cypriano Zochowſki in Zyrovicienſi anno 1675, & iterum ibidem anno 1679; id tamen ut plurimùm factum eſſe cum præcautione, proteſtatione, ac manus propriæ ſingulorum ſubſcriptione, ob graves cauſas, nec debere liberæ electioni pro futuro unius è Mo-

Monachis præjudicare, neq; ad ſimiles perſonas extendi. Ventilàta ſæpius hæc cauſa fuit, juſſu Sacræ Congregationis, Nuncijsq; per regnum Poloniæ Apoſtolicis commiſſa in Generali eorundem Religioſorũ Capitulo componenda; effectum tamen nunquam hactenus ſortiri potuit, quantumvis Capitulo præſiderent ipſi S. Sedis Legati, ſicut inter cæteros præſedit uni eorum Illuſtriſſimus Pignatelli tunc per Poloniam Nuncius Pontificis, poſtea verò in Sancta Sede Petri Succeſſor, aſſumpto nomine Innocentij XII: irrita ceciderant ſeptem generalia comitia in hunc finem ab his præſidibus indicta; cùm iteratò juſſu S. Congregationis convocare jubetur Capitulum Generale Opitius Pallavicinus Legatus per Poloniam Sanctæ Sedis. Hic vel quòd prævideret, ſe in tantis animorum motibus, & prælatorum contra inferiorem ordinem incenſorum diſſidijs, actum acturum; vel quòd legitimis alijs ad latus regium negotiis impeditus eſſet; Spartam Præſidis ali-

aliquibus ex Poloniæ aut Magni Ducatus Litvaniæ Epiſcopis commendare ſtatuit: verùm propoſitos recuſabant partes, palamq; jactabant perdendam operam & oleum; ſi faventiores uni parti quàm alteri præeſſent. Stetit tandem judicio Nuncij, ac partium conſenſu; ut in præſidem Capituli diceretur Ven: Pater Thomas noſter. Hunc, utpotè non ita pridem Epiſcopum, prælatorum partibus non contraventurum; nunc autem poſito Epiſcopatu religioſum, acturum, quæ è bono religionis eſſent. Sed & iſte datis ad Nuncium excuſatoriis, onus excutiendum judicavit, ſpem, ſcribit ipſe, etiamſi cæcus irrueret, in ſe homine indocto, cauſæ ignaro, authoritate ac valetudine carente, ac ad iter prorſus inepto nullam eſſe; non profutura quæ tentaturus eſſet; haberi viros in clero tã ſæculari, quàm regulari meliùs hoc negotium ac perſonam ſuſtentaturos, quàm ſe, hominem nullius experientiæ ac dexteritatis, & cætera hujuſmodi. Tentatus tamen

men iterũ iterumq; a Nuncio, cum ſe ſine conſenſu Patris Noſtri negotiũ ſuſcipere poſſe negaret, accedente Pontificis Innocentij XI. authoritate, ac mandato Patris Generalis, victas manus dare coactus eſt. Partes igitur poſt indictam, de conſenſu controvertentium, Congregationem Generalem Novogrodecum, principio ſigillatim convenire, ac ad mutuam pacem, & animorum unionem adhortari; pendere ab hac integritatem Ordinis ac exiſtimationem; tum perſvaſionibus ac precibus agere apud ſingulos, qui remorã poſituri credebantur; darent aliquid bono communitatis, ac voluntati Pontificis, nec ea prætenderent, à quibus certa everſio unionis ac ordinis penderent. Virum ſe exhibuit Cyprianus Zochowſki Metropolita. Nam cum in publica ſeſſione P. Thomas exhibuiſſet, juſta petere religioſos, ſtareq; pro iis Sacram Congregationem, ſicut olim pro iis in eadem cauſa ſteterat Alexander VII. anno 1665 die 30 Maji irritam faciendo electionem in Proto-

archimandritam Episcopi Chelmensis, rursusq; anno 1666. 4. Junij electionem Metropolitæ in idem officium cum annullatione actorum Capituli sicut stetit Innocentius XI. tunc feliciter regnans decreto ad futuram rei memoriam emanato anno 1683 die 30 Octobris, excludenteq; Metropolitam ab eodem officio ob incompatibilitatem istius muneris cum dignitate Archiepiscopali, unà cum invalidatione ac annullatione actorum Capituli Minscensis; cùm inquam hæc & similia, etiam à ratione petita, produxisset P. Thomas, Metropolita Zochowski integrè se nutui S. Sedis accommodare velle publico in consessu professus, sponteq; se electioni suæ passivæ in Protoarchimandritam renunciare, posseq; vota Electorum, cæteroqui in Personam suam inclinantium, converti ad mentem S. Sedis in monachum aliquem simplicē probatæ virtutis pietatis ac prudentiæ: sicut & factum est summo partium consensu ac plausu. Demscensum deinde ad inspectionem regu-

larū

larum, ac obſervantiæ religioſæ, ſtatutaq; ſunt ea, quæ diſciplinæ regulari, ac bono ſacræ Unionis congruerent. Scribit ipſe P. Thomas de his ſuis geſtis ad P. Andream Rybſki Rectorem Collegij Brunsbergenſis Soc: JESU die 31 Auguſti, anno 1686 in hæc verba.

„ Jam tandem, DEo ſint laudes, „feliciter abſoluta eſt mea Novogrodeci in Generali Capitulo (cui Illuſtriſſimus Metropolita, Epiſcopi, Abbates, Conſultores & alij Prælati ritûs „Græci à ſuis monaſterijs Ordinis S. „Baſilij Magni legati miſſi intererant) „præſidentia. Ipſi Illuſtriſſimo Nuncio „functio hæc à S. Sede commendata „erat: ſed quia hic totius Chriſtianita„tis negotijs impeditus fuit, me ſui lo„co ſubdelegare volebat, quantumvis „renuerem, & abſq; imperio A R. P. „Noſtri eam functionem admittere ne„quirem. Sanctiſſimo tamen Domino, „ut mihi id demandaret, Patri noſtro „imponente, coactus ſum in ſpem con„tra ſpem negotiationem tantæ mo-

 lis

,lis aggredi, quæ à morte piæ mem.
,Ven. P. Rudzki in ſeptem Generali-
,bus Capitulis (quorum uni præſidebat
,Card. Pignatelli Nuncius Apoſtoli-
,cus) deſideratum finem habere non
,potuit, quæq; nec modò in tanta par-
,tium diffidentia, & ſuperiorum con-
,tra inferiores exacerbatione, felicius
,terminanda credebatur; nemo certè
,fuit, qui præſenti etiam congregati-
,oni ſucceſſum promitteret. Benedixit
,tamen ſimplicitati meæ Optimus Do-
,minus, quòd poſt undecim dierum
,labores (non computo hic aliquot ſe-
,ptimanas prævias, quæ inſumi debu-
,erunt in diſpoſitione agendorum, &
,aptatione cordium) & animi inter par-
,tes optimè conciliati ſint, & omnia
,ita ordinata, ut Romam contentan-
,dam putem, relictâ ſolis Agentibus in
,ſubſellijs Romanis diſplicentiâ; quòd
,ijs offa, in quam utrinq; millia fun-
,debantur, ſubtracta ſit. Habui hujus
,meæ negotiationis Secretariū ſeu Soci-
,um laboris R. P. Joannem Berent op-
,portuniſſimè Exprovincialem, cujus
pru-

,prudentiæ conſummatæ & dexteritati ,hanc meam felicitatem adſcribere de- ,beo & adſcribo. Si particularia de ,his negotijs noſtris & difficultates per- ,ſcriberem, juſtiſſimum eſſe judicaret ,Veſtra Reverentia, habere nos cau- ,ſam gratias agendi Domino. Pro quibꝰ ,omnibꝰ Sit nomen Domini benedictũ ,in æternum. *Hactenus Pater Thomas.* Porro Patres Baſiliani conſecuti, quod ſperare vix poterant, mirum quantum virtutem Ven. P. Thomæ extollebant. In datis ad Patrem noſtrum Carolum de Noyelle, conceſſum ſibi ajunt Angelum divinitus, in hoc Apoſtolico Commiſſario; qui & pacem reſtituerit, & ſuam ordini integritatem; debere ſe omnes P. Thomæ prudentiæ ac dexteritati, quod moleſtis Prælatorum, minùs diligenter Religionis commodis ſtudentium, officijs liberati ſint; futuram apud poſteritatem religioſam gratam Ujeyſcij memoriam, Societati deniq; perpetuam laudem; quæ ſicut olim in primordijs unionis per ſuos ſocios P. Adalbertum Pruski, & P. Stephanum Gru-

 żewski,

źewski, toto ſexennio Novitiatum Ordinis ſui formavit: ita nunc per P. Thomam Ujeyski effecerit; ut membra religioſa religioſo Capiti reſpondeant. Addiderunt alia plura encomia, quæ idem P. Generalis in provinciam ad cõmendationem P. Thomæ reſcripſit. Anno 1686. 2Novembris. Ipſe etiam Nuncius Pallavicinus mirè recreatus tam felici exitu, multas ſuo ſubdelegato referens gratias pro laboribus in tam intricata cauſa, appromittit: ſe minuta quæq; S. Congregationi ac ſummo Capiti perſcripturum ad commendationem tanti operis & operantis; petitq;: ut adjiciat ſanctè factis etiam hoc, & impetret (ſicut & impetravit) ex eadem ſacra Religione viros Apoſtolicos, à D. Metropolita & Proto- Archimandrita; qui Leopolim ad dilatandam ſacram unionem, ac convellendum ſchiſma mitterentur.

CA-

CAPUT XLII.

Mors Ven. P. Thomæ.

COncesserat, positâ præpositurâ domûs Professæ, de consensu Ad. R. Patris Nostri Thyrsi, ad domum Probationis Pater Thomas; ut dispositis animæ suæ rationibus, expeditior iniret viam æternitatis; atq;in nidulo suo, sic tyrociniũ vocabat, moreretur. Exercitijs ibidẽ S. Patris Ignatij magna cũ religione excultus, iterataq; frequenter de tota vita exomologesi, operiebatur, dum quassam senio navem suam aspirans ventus Divinior solvere juberet, seq; de vitæ hujus periculis tolleret factor suus. Ne tamen interea, dum sponsum exspectat, se pars aliqua boni temporis præteriret; vigilem intendit oculum, ut quàm ornatissimam haberet lampadem suam. Solito ergo frequentiùs seipsum recolligere, & effundere coram Domino, cor suum per ferventissimos actus virtutum, ampliare pænitentias & mortificationes, tum inter-

nas paſſionum, tum externas carnis & ſenſuum, in ſatisfactionem, quæ fortè reſtarent, debitorum ante Dominum, avidiùs captare occaſiones lucrandarum Indulgentiarum, deniq; per heroicam ſui in Divinam voluntatem conſignationem ſe aptare tempori, quod ſibi ultimum ſtatuiſſet DEus. Aſſveverat à puero dicendis orationibus de paſſione Dominica, quas S Birgittæ vocant; has magno cum guſtu quotidie orandas reaſſumpſit; ut quod ſibi deeſſet, teſtaretur ſe ſumere velle de vulneribus ac meritis Domini. Habebat & alias non paucas tum ad Virg. DEiparam, tum ad alios ſuæ mortis Patronos, quibus ſe in puncto hoc terribilium omnium terribiliſſimo tuendũ commendabat. Juvat unam, quam exemplo S. Caroli Borromæi aliorumq; Sanctorum quotidie, imò ſæpius per diem de genu dicebat, de verbo ad verbum tranſcribere.

Adoro te, inquiebat, Summa Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, Trinitas Sancta, Trinitas incomprehen-

henſibilis, primum Principium, & ultimus Finis meus, eo affectu, quo adorari digna es, & vis adorari a me: ſimulq; gratias tibi ago pro infinitis miſerationibus tuis indigniſſimo mihi ab ipſo primo inſtanti vitæ meæ peccatricis collatis, ac tota æternitate conferendis. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto, quia fecit mecum magnam miſericordiam ſuam.

Credo te DEum unum in eſſentia, & trinum in perſonis; credo ea omnia, quæ tu me credere vis, quæ Sancta Mater Eccleſia proponit credenda, paratumq; me profiteor ad profundendam millies vitam & ſangvinem meum pro minimo ex articulis Sanctæ fidei, meq; ad ultimum momentum vivere velle in obedientia tua, ac Sanctæ Eccleſiæ tuæ.

Spero in te infinita bonitas; magna quidem & multiplicata ſunt ſuper arenam maris peccata mea, quibus iram merui; ſed major eſt miſericordia tua, & theſaurus paſſionis & ſangvinis Domini mei, DEus miſerationum tu

es, tibi proprium est misereri semper & parcere.

Amo te DEus omni amore dignissime, & amo, quia DEus es, quia bonus tibi es, quia omne & solum bonū es. Vellem te amare amore omnium electorum, amore Christi Salvatoris mei, amore quo ipse te amas: Hoc cū facere nequeam, saltem vilem amorem meum conjungo amoribus istis, ut guttam cum Oceano, ut arenam exiguam cum toto universo, ut nihil cum omnibus. Pereat dies quo non amavi te, & quo dictum est: hic homo non amat DEum amorem suum.

Ex hoc amore super omnia doleo, doleo, doleo, quòd te incomprehensam bonitatem offenderim, non metu pœnæ, quæ mihi dulcis foret, si in ea te amare possem, non spe præmij, quod mihi amarum esset, si in eo te amare non possem; tua solius bonitas offensa doloris mei causa est; tu DEUS amor meus non amatus doloris mei causa es. Utinam redirent momenta, quibus non amavi te, toto me amarem te, quia bo-

bonus tibi es; ſicut toto me doleo, quia bonus tibi es, & a me offenſus es.

Ex hoc amore volo quidquid vis, volo pænitentiam in extremo vitæ, ac Sacramenta, quæ tu vis tunc ſuſcipi à me; nolo quidquid non vis, & ſi unquam aliter volui aut nolui, quàm tu; annullo, retracto, invalido, voluntatemq; meam tibi in holocauſtum dedico. Dominus es, quod bonum eſt in oculis tuis, fac mecum.

Ex hoc amore ratifico, quidquid ullo unquam momento vitæ meæ placitum erat in me Divinæ bonitati tuæ; approbo omnes pios motus, ſenſus & actus meos; ratum habeo, heu ſerò nimis ſuſceptum, ſtatum meum in ſocietate Unigeniti Filij tui, approbo omnia pia opera fratrum meorum, & omnium electorum, unioq; illa infinitudini meritorum Chriſti Salvatoris mei. DEus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. DEus meus amor meus, & Omnia.

His alijsq; pietatis operibus annum jam totum egerat in domo Probatio-

nis

nis P. Thomas, Rectore Patre Paulo Branicki viro ſolidæ, & ad ſocietatis Spiritum limatiſſimæ virtutis; cùm Divinæ bonitati placuit Rectorem è ſtatione & vita evocare. Nominaverat is in extremis ſuis, approbante Provinciali, dum de alio deſuper provideretur, vice ſui Rectorem domûs probationis P. Thomam; quod munus hic ea lege ſe admittere dicebat, ut, quando ita Divinæ bonitati placitum eſt, præcedat, & ſibi locum paret, ſecuturum ſe è veſtigio, cùm unà non poſſet. Mortuo interim ad 29 Junij ſacrũ Divo tutelari ejus diem anni 1689, Rectore, curatoq; funere ejus, acciri jubet P. Thomas Domûs Miniſtrum, monetq;: ut quando Rectori juſta perſoluta eſſent, ſibi etiam de neceſſarijs in viam æternitatis provideri faciat. Mirari ille, ac polliceri in tempore omnia, nunc nullum adhuc propinquæ mortis extare indicium. Imò, ſubjungit Pater, ſequar Rectorem, & ſine mora ſequar. Elapſo modico dierum intervallo langvere cæpit, accedentiquè eidem

dem Miniſtro, Quid putas Pater, langvor iſte non eſt indicium mortis? negantiq;: poſt hunc ait ſuperatum, nullus me premet amplius. Interim quò propiorem ſe ſentiebat diei ſuæ, eò ferventioribus diſſolvi cupiebat votis actibuſq; virtutum ſtudebat intenſioribus. Nullus ei ſermo, niſi de itinere ad DEum ac Divinis; nulla actio, niſi quæ eum promoveret ad deſideratum terminum beatitudinis. Aderat & familiaris illi medicus, qui cum conſcius eſſet eorum, quæ patiebatur ſymptomatum, de remedio ſolicitus erat; cui Pater: non eſt, ait, quòd labores, paulò poſt nullâ opus erit medicinâ; cumq; infirmarius, oraturum ſe DEum, diceret, ne ſolatio Societatis tam properè eriperetur. Adhuc, ait, vobiſcùm ſolennitatem S. mei Ignatij abſolvam. Illuſceſcente die S. Patriarchæ, facta rurſus de tota vita Confeſſione, Viatico ac extrema Unctione muniri poſtulavit, quibus ſumma cum pietate ac reverentia ſuſceptis, ſolus relinqui voluit; ut tantò liberiùs cum DEo a-

gere

gere possset: Accitum dein P. Ministrū petijt; commendaret Novitiis terrestribus illis Angelis agonem suum; cùmq; hic se eosdem convocaturum diceret, ut a morituro ultima salutis verba, ac monita salutaria accipiant, prohibuit P. Thomas prætendens, se non ita in Spiritu & Sanctitate fundatum; qui, ut Elias Eliseo, quidquam de suo spiritu alijs communicare posset; scire se imperfectum suum, hocq; unum relinquere; ut pro se peccatore, & morituro & mortuo, orent. Postridie diei S. Patris, seu ipsis Calendis Augusti, quæ Sacræ Petri vinculis sunt, disrupit Dominus vincula ejus, transtulitq; eum in libertatem illam filiorum, in qua non est amplius servitus, nec labor, nec dolor. Obtigit optata illi mors inter svavissimos amplexus Crucifixi, ac Sanctissima JESU & MARIÆ nomina, anno elapsi sæculi, seu post millesimum sexcentesimum, octogesimo nono, ætatis suæ septuagesimo sexto, initæ Societatis duodecimo, ab obitu Rectoris, quem se secuturum

præ-

prædixerat, menſe uno ac biduo. Morte ejus per urbem divulgatâ magno numero ad corpus demortui, venerationis ergo, accurritur, alijs quidem oſcula ſacro corpori figentib9, alijs autẽ attactu corollarum, imaginum, aliarumq; rerum memoriæ tanti viri ſervandarum demortui exuvias honorantibus; audiebaturq; communis vox omnium, Virum Sanctum mundo ereptum, novum in cælis ſe habituros interceſſorem. Exequias, in confertiſſima populi multitudine, accurrentes ex omnibus Sacris Ordinibus cleroq; ſæculari, frequentes cum ſacrificijs Sacerdotes decorabant, hac ſpe freti; quòd ab eo in cælis habituri eſſent patrocinium, cujus animam Creatori ſingulari pietatis ſenſu commendarent. Corpus ad viri venerationem ac memoriam, duplici incluſum eſt loculo, cui Domus Probationis, additâ deforis laminâ, ſequenti parentavit epitaphio.

D. O. M.

P. Thomas Ujeyſki Societatis JESU Profeſſus, hac urna clauditur. Is aliquando

quando Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Chijoviæ ac Czernihoviæ Epiſcopus, tribus Sereniſſimis Poloniæ Regibus Joanni Caſimiro, Michaëli I, Joanni III. ob eximias virtutes, rectam ſentiendi gravitatem, miram in difficillimis negotijs dexteritatem, Senator Chariſſimus, in ipſis gratiarum, ac ſe ſe ultro ingerentium honorum occaſionibus caduca pertæſus, cupidus æternorum, magnis moliminibus, & multorum annorum apud Sanctiſſimam Apoſtolicam Sedem conatu, rariſſimo exemplo, depoſitis infulis, Societatem JESU amplexus, altero probationis anno quatuor vota profeſſus, paulò poſt Domui Profeſſorum Vilnæ Præpoſitus, ſummâ prudentiæ ac pietatis laude illam quinquennio rexit. Sed cum tempus reſolutionis inſtare perſentiſceret, quò expeditius æternis vacaret cogitationibus, ut etiam hanc ipſam præfecturam exueret, magna contentione impetravit. Obtentâ igitur à munere miſſione, in Domo Probationis totũ ſe DEo, & componendis animæ rationibus

bus impendit: ubi demum, poſtquam unũ exegit annum, cælo maturus obijt, anno MDCLXXXIX, die 1. Auguſti, ætatis ſeptuageſimo ſexto, initæ Societatis duodecimo.

CAPUT XLIII.

Opinio Sanctitatis.

NOn eſt hic animus ea percenſere, quæ ſpeciem aliquam miraculi habere videntur, & plurium ſermone celebrantur. Neq; enim ſum neſcius, veræ ſolidæq; ſanctitatis lucem his radijs opus non habere. A P. Thoma ſcio repreſſum eſſe quendam confidentem, volentem ab eo ſignum videre. Legebat hic viam quandam cum eo adhuc Epiſcopo, cùm medio in curſu axe rotæ fracto coguntur hærere. Inſtat ergo repetitis vicibus: ſignaret Epiſcopus locum cruce; cujꝰ iſte moleſtiam hoc uno retudit: non miraculo hìc ſed fabro opus eſt. Demum fateor ingenuè, conſilium meum fuiſſe; hac vili opella annotare, quæ ſanctæ æmula-

tioni potiùs, quàm admirationi oppor-
tuna essent. Judicia igitur solùm ali-
quorum, qui tam viventem, quam de-
mortuū in opinionem non vulgaris san-
ctitatis vocârunt, in medium profer-
re placet. Ordior à voce populi, quæ
non rarò vox DEi esse solet; hæc sicut
illum adhuc Episcopum; ac dein per
reliquā vitā Virum Sanctū, ita à morte
dignissimum hoc nomine censuit. Ea-
dem vox est Cleri tam sæcularis, quàm
regularis, è quo permulti in parte feli-
citatis ponunt, quòd à tam S. Viro Or-
dinibꝰ Ecclesiasticis initiati fuerint, vel
ejus consortio, patrocinio, beneficijs si-
bi frui licuerit. Eadem vox Provincia-
rum Poloniæ ac Magni Ducatus Lit-
vaniæ, quas exemplo suo ad omnem
probitatem provocavit. Eadem deniq;
ipsorum Ecclesiæ Capitum, Episcopo-
rum, Regum, Principum, ac Pontifi-
cum Summorum.

Alexander certè VII, qui ut supra
diximus, præter ordinem consvetum,
concesserat Episcopo nostro Suffragane-
um (quē aliàs concessurus nō fuisset) in

da-

datis ad eum subscribente Fr. Florentin. anno 1659. die 7. Julij, motum se ad eum concedendum fatetur spectata pietate ac zelo insigni ejus, quem etiam sperat collaturum omnia accuratè studioseq; ad DEi gloriam, & Ecclesiæ afflictæ tam spirituales quàm temporales rationes. Rursus idem Pontifex in datis ad eum anno 1660. de die 29. Maji: vult ut fidem habeat his, quæ ipsi Antonius Episcopus Larissenus de amãtissima Pontificis erga pietatem & virtutes ejus voluntate edisseret.

Clemens IX. mittendo Galeatium Archiepiscopum Corinthi anno 1668. die 5. Martij, commendat eundem Episcopo nostro; ut eum, cùm opus fuerit, auctoritate, consilio, studioq; prolixè juvet, & interim de singulari in ipsius Ujeyscij virtutes charitate Pontificis disserentem benevolè audiat. Item eodem anno 25. Julij scribit, quòd cum dederit mandata eidem Archiepiscopo; ut dissidia obventura in comitijs pro Rege dicundo, conetur tollere, mandatũ addiderit; ut eximiam erga Ujeysciũ paterni

terni animi exponat significationem, optatq; summopere, si opus fuerit, autoritatem Episcopi nostri interponi pro agendis à Nuncio.

Clemens X. mittendo Nuncium in Poloniam Extraordinarium Franciscum Bonvisium Archiepiscopum Thessalonicensem in negotio contra Turcã, hunc commendat Ujeyscio, ut ipsi consulat anno 1672. die 5. Novembr. Pontificatûs anno tertio subscribente Mario Spinula. Rursus eodẽ anno scribit in eodẽ negotio, multam se de ejus virtutibus habere informationem, credereq; pauca nimis sibi dicta de ejus pietate, zelo ac in S. sedem animo; pergeret in omni sanctitate & justitia, cui ipse Pontifex uberem adjicit benedictionem. Deniq; quanti hic Pontifex fecerit virtutem Ujeyscij, patet ex eo; quòd cũ, ut supra vidimus, manumissionem ab Episcopatu impetrare niteretur, vias omnes quæsiverit dimovendi à proposito tam spectatæ virtutis, ac tam utilem Ecclesiæ ac Patriæ virum; cumq; in iteratis instantijs Spiritum DEi vocan-

cantis agnovisset, non aliter eum ab hoc onere absolverit, quàm ut pro se assiduus apud DEUM esset exorator.

Consimilis sensus erat S. R. E. Cardinalium de sanctitate Patris Thomæ: unum pono Michaëlem Stephanum tit. S. Mariæ de pace Cardinalem Presbyterum Radzieiowski, Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum Natum, Regni Poloniæ ac Magni Ducatus Litvaniæ Primatem, primùmq; Principem, qui paulò ab ingressu Episcopi nostri in Religionem, cùm post consecratione suam in Episcopum, Varmiensẽ Cathedram suam primùm ingredi deberet, offerretq; ei ad hunc actum Custos Ven. Capituli pretiosissimum, quem habebat Ecclesia, apparatum; amore & existimatione virtutis Ujeyscianæ, ut nuper Antonius in præcipuis anni festivitatibus tunicâ Pauli primi Eremitæ; non alio uti voluit, in hac die solennitatis suæ, quàm quem illi Ecclesiæ reliquisset, concedens ad solitudinem religiosam, Ujeyscius.

Addo Episcopos. Andreas Trzebicki Episcopus Cracoviensis, audito, quòd Episcopus noster Cænotaphium sui Prædecessoris in Abbatia Plocensi (is erat Abbas Starczewski) effigie ac stemmate ejus ornârit proprijs impendijs ad id collatis. Viden, ajebat, quid rerum egerit Sanctus hic Episcopus; reliqui successores acta prædecessorum, ut sua commendatiora sint, obliterant, hic ad perennem ejus memoriam procurat esse quàm ornatissima: quæ quidem res insolita ita huic Episcopo placuit, ut datis ad Ujeyscium literis mirè ejus virtutem commendantibus illi pro tam raro tamq; insigni facto gatias retulerit ad annũ 1673. Innui supra: ab Illmo. Joanne Stephano Wydzga Episcopo Varmiensi, postea Gneznensi Archiepiscopo, non alio, quàm sancti Episcopi, suis necessitatibus supplendis divinitus dati nomine vocatum esse Ujeyscium. Alexander Kotowicz Episcopus Vilnẽsis sæpe nostris dicebat: habebitis brevi novum Sanctum Thomam Ujeyski, cui ego si superviverem, multa de eo ad ædifi-

ædificationem omnium, manifesta facerem: prius tamen morte præventus est, quam Pater Thomas decederet. Nicolaus Słupski Episcopus Gratianopolitanus æger dum P. Thomæ funebria persolverētur, cùm rescivisset, quàm copiosus Sacerdos parentaturus adfuisset, ait: se si per senium & morbum licuisset, non dicturum fuisse Missam pro defunctis dici solitam, sed vel de Confessore, vel si id propia autoritate non licuisset, saltem de Ss. Trinitate gratiarum actoriam: credere enim se, defunctum hunc non egere suffragijs, sed potiùs nos ejus intercessione.

Nec alia mens Regum erat & Principum. Joannes quidem III. Rex Polon. ubi è comitijs Grodnensibus Vilnā excurrisset, & P. Thomam regijs affusum pedibus complexu excepisset, gaudere se, professus est, quòd tam raræ sanctitatis vir se Rege, idq; è Senatu suo, ad DEi famulatum assumptus sit; neq; aliter Vilnâ abijt, quàm in genua prociduus, ab Ujeyscio sibi, proli, ac Regno suo impetrasset benedictionem.

 Opi-

Opinionem Principum, aliorumq; primæ nobilitatis virorum facile collegeris ex eo, quòd à morte ejus certatim per literas accurrerint ad superiores domûs, in qua ultimum diem clausit Ven. P. Thomas, petentes aliquas ex utensilibus ejus privatæ suæ devotioni servituras reliquias: quod utiq; non fecissent, si fortem de sanctimonia ejus opinionem non habuissent.

Jam si mens nostra requiratur, qui eadem cum illo lege viximus, non fateri non possumus: suspexisse nos semper vivam in eo regulam Societatis, stupuisseq; non semel, quomodo homo annis gravis, ita regulari jugo assvescere potuerit: ut qui illud portavit ab adolescentia sua, nunquam libentiùs ei colla subditurus esset. Nemo illi in sui despicientia & actibus abnegationis propriæ palmam præripuit, nemo in obedientia promptior, in mortificando corpore suo ferventior, in virtutibus alijs accuratior fuit. Exemplar omnis recti nobis erat P. Thomas, ad quod respicientes operaremur salutem nostram in

medio

medio terræ hujus benedictæ, qualis nobis ſemper eſt Religio ſacra.

Claudo hactenus dicta judicio pauperum, quibus cùm, oraculo Chriſti, poteſtas ſit recipiendi in æterna tabernacula, in quæ nulli niſi ſancto patet ingreſſus, neceſſe eſt talem eſſe quē ij hac apotheoſi dignum cenſent. Et quidem ſole clarius eſt, non aliter quàm ut ſanctum ſemper ab ijs acceptum fuiſſe Ven. P. Thomam. Hunc illi non alio nomine, quam ſancti ſui Eleemoſynarij, miſericordis Epiſcopi, Patris pauperum, appellabant. Unum certè eorum, quem à multis annis Frauenburgi, ubi frequens erat Ven. Epiſcopus noſter, inmoratum fuiſſe audiveram; cùm, an noviſſet Patrem Thomam adhuc Epiſcopū, & quid de eo ſentiret quæſiviſſem: hæc omnino obortis lacrymis reſpondentem audivi. Mi Pater, quid de ſancto hoc viro ex me quæris? non habebimus unquam tam ſanctum virum, qui ita intelligat ſuper egenum & pauperem, ſicut ille; pridem ſanctus iſte Epiſcopus in cæ-

lis eſt, quos tam largis eleemoſynis ſibi emit in terris.

Et hæc ſunt quæ primus omnium de vita hujus DEo dilecti Viri annotanda judicavi, confidens fore; quòd ſicut in alijs quâ ſanctorum, quâ illuſtrium aliorum virorum Vitis poſterior priore plura invenit, & addidit: ita & hujus eximij ſervi DEi uberiora prodibunt decora, manifeſtabuntur virtutes, ubi rudis hæc & prima delineatio, per manus hominum ſparſa fuerit. Deſiderarunt hactenus, non minus piè quàm ardenter, probi & docti omnis conditionis, Eccleſiaſtici, Religioſi & Sæculares; ut tandem luciḋiſſima hæc lucerna emergeret è modio, & rurſum ſuper Eccleſiæ poneretur candelabrum: affundent igitur, quàm poſſunt largiſſimè, oleum uberius, quo in perpetuas luceat æternitates. Interim laudetur ſemper & ubiq; mirabilis & glorioſus in Sanctis ſuis DEUS.

PROTESTATIO AUTHORIS

Conformiter ad decretum Sedis Apostolicæ emanatum ab Urbano VIII. anno 1625. 13 Martij, declaratum anno 1631. 5 Julij, rursusq; confirmatum anno 1634. 5. Julij, protestor: me omnia quæ in hoc libro de virtutibus, sanctitate, rebusq; gestis, Venerabilis P. Thomæ Ujeyski ac alijs, qualemcunq; miraculi speciem habentibus, continentur, alio sensu non accipere, nec accipi velle; quàm quo solent accipi, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina, vel Catholicæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur.

INDEX
Capitum.

XL

FINIS